tant actum usus, illum tamen negant in voluntate divina; dicunt enim, quod in tantum in voluntate creata post actum imperii ponitur actus usus, quia posito actu imperii, superest aliqua difficultas in applicandis potentiis executivis ad actum, vincenda per actum usus; cum autem in Deo ista difficultas non detur, immo nec detur potentia executiva distincta ab intellectu practico, cujus imperium est formaliter ipsa executio; ideo cessat totaliter necessitas actus usus imperium subsequentis. Utraque responsio probabilis est.

XXIII. Sed dices. Secundum D. Thomam actus productivus creaturarum debet esse actus scientiæ, cum scientia Dei sit causa rerum; sed actus imperii non est actus scientiæ: vel enim imperat factibilia, & sic est actus prudentiæ; ergo &c.

Respondeo, negando min. Et dico, quod, cum secundum D. Thomam hoc *art.* 8. & alibi frequenter, scientia Dei se habeat ad res creatas, sicut scientia artificis ad artificiata, & sicut scientia artificis causa artificiatorum est, ita scientia Dei sit causa rerum; nullum video inconveniens, quod imperium, quod est proprium artis, sit actus proprius scientiæ divinæ, ut respicit factibilia. Esto enim scientia speculativa contradistinguatur ab arte, scientia tamen practica, quæ est sicut scientia artificis (qualem esse scientiam divinam, dum causat res, docet D. Th.) coincidere potest cum arte, & imperium circa factibilia actus utriusque esse potest.

DUBIUM V.

An Scientiæ, quæ Deus causat res, sit Scientia Visionis, an Simplicis Intelligentiæ.

§. I.

Præmittuntur aliqua.

I. STatuimus in præcedenti Dubio, Potentiam executivam Dei, seu Omnipotentiam, esse ipsum divinum intellectum, & actualem rerum productionem esse actum intellectus, seu scientiam practicam. At quia, ut vidimus, scientia Dei, alia est visionis, alia simplicis intelligentiæ; ideo quærimus, quanam ex his duabus actu Deus producat creaturas. Pro quo

II. Adverto, quod circa productionem creaturarum plures actus in intellectu divino concipere possumus. Nam, præter actum imperii, quem diximus, esse ipsam actualem rerum productionem, alii ante ipsum concipiuntur actus dirigentes voluntatem divinam, sive ad intentionem finis, sive ad electionem mediorum. Sicut enim (ait D. Thom. in 1. dist. 38. quæst. 1. art. 1.) *est isto processus in productione artificiati. Primo scientia artificialis ostendit finem. Secundo voluntas ejus intendit finem illum. Tertio voluntas imperat actum, per quem educatur opus, circa quod opus scientia artificis ponit formam conceptam*. Ita Scientia Dei, quæ se habet ad modum scientiæ artificis in causando res, ut diximus ex eodem S. Doct. primo nostro modo intelligendi ostendit divinæ voluntati finem, deinde voluntas intendit, rursus scientia proponit media, quæ voluntas eligit, inde sequitur imperium. De his ergo actibus intellectus, seu scientiæ divinæ quærimus modo.

§. II.

Resolvitur de actibus scientiæ præcedentibus imperium.

III. DIco primo. Scientia, quæ solum directive ad rerum productionem concurrit, qualis est scientia ostendens finem, & media, est scientia simplicis intelligentiæ. Prob. Scientia, quæ directive concurrit, vel est cognitio dirigens intentionem finis, & ostendens finem, vel est consilium, seu judicium proponens media, & dirigens electionem, sed utraque est notitia simplicis intelligentiæ: ergo &c. Maj. patet, quia præter dictas cognitiones non datur, nisi imperium, quod, ut vidimus, non directive solum, sed effective concurrit. Min. vero prob. Cognitio, quæ concipitur præcedere existentiam, & futuritionem rei est scientia simplicis intelligentiæ, quæ respicit rem, ut possibilem, nondum determinatam ad existendum; sed tam cognitio regulans decretum intuitivum, quam electivum præcedunt rei futuritionem; ergo &c. Min. prob. Finis non est determinate futurus, nisi futura sint media, media non sunt determinate futura, nisi sint electa, & ordinata ad executionem; ergo cognitio præcedens, & dirigens decretum intentivum, electivum, & executivum præcedit nostro modo concipiendi rerum fruitionem, cum hæc habeatur ex decreto executivo.

IV. Sed dices. Cognitio regulans decreta intentiva Dei circa rerum productionem est cognitio practica, quia ordinatur ad faciendum extra Deum; sed omnis cognitio practica est in Deo scientia visionis, quia scientia simplicis intelligentiæ est pura notitia eorum, quæ nec sunt, nec fuerunt, nec erunt, nec respicit faciendum, sed factibile; ergo &c.

Respondetur, dist. min. omnis cognitio practica effective est &c. con. min. cognitio practica solum remote, & directive, nego min. Cognitio practica est duplex, alia factiva, alia directiva, non solum enim practicum est, quod producit, sed etiam id, quod dirigit ad productionem. Scientia ergo simplicis intelligentiæ, esto non possit esse practica productive, potest tamen esse practica directive, quatenus dirigit actus intentivos voluntatis circa rerum productionem.

V. Dices tamen. Scientia simplicis intelligentiæ non respicit res, ut producendas, sed ut producibiles; at scientia practica etiam directiva respicit creaturas, non ut mere producibiles, sed ut producendas, seu ut futuras saltem pro signo posteriori; ergo non est scientia simplicis intelligentiæ.

Respondetur, dist. maj. ut producendas executive, ultimate, & consummative, conc. maj. intentive, indeterminate, & inchoative, nego maj. & distincta similiter min. nego consequ. Scientia ergo simplicis intelligentiæ, esto non possit respicere creaturas, ut producendas, vel ut futuras ultimate, executive, & determinate, potest tamen respicere illas, ut producendas, vel non producendas indeterminate, sed ut producendas solum intentive, & inchoative. Sic autem sunt creaturæ pro priori ad decretum executivum: cognitio enim ostendens finem, solum ostendit bonitatem finis voluntati: consilium vero, teste D. Th. 1. 2. *q.* 14. *art.* 5. *ad* 3. solum proponit media, ut congrua fini. Quare si posita ostensione finis, voluntas eum non intenderet, finis remaneret possibilis: & si posita intentione finis, & consilio de mediis, ea voluntas non eligeret, media adhuc essent possibilia: & tandem si posita electione, non daretur decretum ordinans executionem, nec media, nec finis essent unquam futura absolute. Ex quibus sequitur, quod, etsi Scientia Dei supponat actum voluntatis, adhuc potest esse scientia simplicis intelligentiæ; Tunc autem solum esse scientiam visionis, quando supponit decretum executivum; tunc enim sunt ultimate futura, & præsentia Dei, ideoque objectum scientiæ visionis.

§. III.

Resolvitur de actu Imperii executivi.

VI. DIco secundo. Scientia, qua Deus in actu secundo res producit, quam vocamus actum imperii, est scientia visionis. Probo. Scientia, quæ versatur circa res actu existentes, est scientia visionis, non simplicis intelligentiæ, quæ respicit res, vel ut mere possibiles, vel solum ut in actu primo producendas, & inchoative futuras; sed scientia, quæ est actualis rerum productio, respicit res in actu secundo existentes: quia terminus actualis productionis est res actu existens; ergo &c.

VII. Dico tertio. Scientia, quæ est rerum productio, non est scientia visionis, quatenus præcise, & formaliter visionis est: sed solum quatenus est approbationis, seu quatenus applicata per decretum executivum divinæ voluntatis. Est D. Th. hac 1. *p. q.* 14. *art.* 8. ubi concludit: *Unde scientia Dei, secundum quod est causa rerum confusevit nominari scientia approbationis*. Ut explicetur hæc conclusio, suppono, quod, licet scientia visionis, & approbationis sit unica scientia in Deo, dicit tamen diversum respectum. Ut enim visionis est, respicit objectum, quod intuetur. Ut vero approbationis, respicit decretum divinæ voluntatis, quo applicatur. Ut ergo visionis est, & ut pure intuitiva, ac sui objecti contemplativa, non dicit esse causam rerum, sed eas potius supponit in aliquo priori naturæ jam factas, & productas a se ipsa, quatenus est practica, & approbationis: Ad eum modum, quo eadem cognitio, licet sit productiva verbi, & contemplativa ejusdem, quatenus tamen est contemplativa, non est productiva verbi, sed illud supponit productum a se ipsa, quatenus dictio est.

VIII. Probatur ergo prima Pars sic. Si scientia Visionis, quatenus præcise Visionis est, esset productio rerum, omnis scientia visionis esset productio, quia causalis æquivalet universali, & a causali ad universale est bona consequentia: sed non omnis scientia visionis est actualis productio, etiam in Deo. Tum quia scientia, qua cognoscit se ipsum essentialiter est visio: & tamen nihil producit. Tum quia Deus scientia visionis cognoscit peccata præterita, præsentia, & futura: & tamen nulla non producit.

IX. Secunda autem Pars probatur sic. In quantum scientia visionis esse potest productio rei, in quantum habet efficaciam ultimo, & complete in ordine executivo; sed hanc efficaciam habet ex participatione voluntatis, quæ est primum movens quoad exercitium, & executionem; ergo &c. Utramque partem docet D. Th., tum hoc *art.* 8. tum in 1. *dist.* 38. *q.* 1. *art.* 1. his verbis: *sciendum est ergo, quod scientia secundum rationem scientia non dicit aliquam causalitatem, alias omnis scientia causa esset: sed in quantum est scientia artificis*. Inde profequitur, quod sicut scientia artificis non ponit in opere formam conceptam, nisi ex imperio voluntatis; ita scientia divina. Et ex hoc tandem concludit: quod *sicut quidquid accidit in effectu per defectum a forma artis, vel a fine, non reducitur in scientia artificis, sicut in causam*; ita *malum, quod est deviatio a forma, & a fine, non causatur a scientia Dei: sed tantum causalitatem habet respectu bonorum, secundum quod consequuntur formam divinæ artis, & finem: non tamen quod respectu ad bonum dicat perfectam rationem causalitatis, nisi secundum quod adjungitur voluntati. Et idem in litera dicitur, quod scientia speculativa est causa rerum. Et propter hoc etiam Avicenna dicit* (lib. de intellig. c. 1.) *quod, in quantum Deus cognoscit essentiam suam, & amat, vel vult eam, secundum quod est principium rerum, quarum vult, se esse principium, fluunt res ab eo*. Idem docet *q.* 2. *de Verit. art.* 14.

X. Sed oppones contra superius dicta. Actualis rei productio nequit supponere rem productam; sed scientia visionis supponit res a Deo productas: ergo &c. Min. prob.

Primo, *Genes.* 1. *vers.* 31. dicit ut *vidit Deus cuncta, quæ fecerat*.

Secundo scientia visionis, utpote cognitio rei existentis, supponit rem existentem, & consequenter jam productam.

Tertio, in nobis intuitiva cognitio supponit rem jam productam; ergo & in Deo.

Quarto, sicut simplex notitia respicit possibile, ita scientia visionis respicit objectum existens; sed simplex notitia supponit possibile, nec illud possibile facit; ergo scientia visionis supponit existens objectum, nec illud facit existens.

Quinto,

Quinto, nulla scientia facit, sed supponit objectum suum; sed scientiæ visionis objectum est res existens; ergo illam non facit, sed supponit existentem.

XI. Respondetur, dist. min. scientia ut visionis est, & contemplativa rei factæ, conc. min. scientia visionis habens adjunctam voluntatem faciendi, neg. min. Talis autem est scientia visionis, quam dicimus esse rerum productionem. *Res* enim *naturales* (ait D. Th. hoc *a.* 8. *ad* 3.) *sunt media inter scientiam Dei, & scientiam nostram. Nos enim scientiam accipimus a rebus naturalibus, quarum Deus per suam scientiam causa est: unde sicut scibilia naturalia sunt priora, quam scientia nostra, & mensura ejus: ita scientia Dei est prior, quam res naturales, & mensura ipsarum: sicut aliqua domus est media inter scientiam artificis, qui eam fecit, & scientiam illius, qui ejus cogitionem ex ipsa jam facta capit*.

Ad primam prob. min. dico, quod sicut artifex per suam scientiam facit domum, & domum jam factam contemplatur, & probat; ita Deus per suam scientiam imperantem fecit omnia: & hoc indicant illa verba Gen. 1. *Dixit, fiat, & facta sunt*. Deinde ea jam facta intuitus est, ac probavit: & hoc indicant verba allata *vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*. Hæc tamen inter scientiam artificis creati, & Dei differentia est, quod scientia artificis creati, dum opus a se factum contemplatur, est pure speculativa, opus enim etsi in suo fieri pendeat a scientia artificis creati, ab ea tamen non pendet in facto esse, & conservari. At res naturales a Dei scientia pendent, nedum in fieri, sed etiam in facto esse, & conservari: unde scientia Dei, qua intuetur res a se factas, easque probat, est conservativa illarum, & ideo practica.

Ad secundam dico, visionem non petere, ut suum objectum supponatur per aliam actionem productum, & existens, sed sufficere, ut terminetur ad existens: quod verum est, sive sit factum existens antecedenter ab alio, sive concomitanter, & a se.

Ad tertiam dico, in nobis, ut nuper dicebam cum Div. Thom. notitiam intuitivam esse pure contemplativam rei factæ, non vero practicam, & factivam, sicut in Deo.

Ad quartam pariter dico, scientiam simplicis intelligentiæ esse pure speculativam rei possibilis; scientiam tamen visionis posse esse practicam: & hoc modo posse efficere objectum præsens.

Ad quintam dico, verum esse de scientia speculativa, non vero de scientia practica, qualis est scientia Dei, ut productio creaturarum est: sicut enim eadem intellectio producit Verbum, & in Verbo contemplatur, ita eadem Dei scientia creaturam producit, & eam intuetur.

An autem res ideo sint, quia sciuntur a Deo, vel potius oppositum, fuse tractatum est supra hac *q. Dub.* 3. §. 3. quo lectorem remitto.

QUÆSTIO V.

De Divina scientia circa futura contingentia absoluta:

FUturum illud dicitur, quod, esto nunc non sit, aliquando tamen erit. Duplex autem est; aliud necessarium; aliud contingens. Primum illud est, quod ita erit, ut non possit non esse, ut crastinus ortus Solis. Contingens vero est, quod taliter eveniet, ut absolute aliquando posset non evenire, ut adventus Anti-Christi. Hic loquimur de Scientia Dei circa futura contingentia. Hæc vero rursus, alia sunt futura absoluta, quæ scilicet independenter ab omni conditione aliquando erunt; alia conditionata, quæ erunt, si ponatur aliqua conditio. De his sequenti quæstione; in præsenti agemus de primis. Utraque quæstio magna contentione agitata divisos tenet Theologos.

DUBIUM I.

An Deus cognoscat futura contingentia absoluta.

§. I.

Quædam præmittuntur.

I. DE hoc agit D. Th. hac 1. *p. qu.* 14. *art.* 3. & *qu.* 2. *de verit. art.* 12. Et noto cum eodem, quod *contingens aliquid dupliciter potest considerari. Uno modo in se ipso, secundum quod jam actu est: & sic non consideratur, ut futurum, sed ut præsens; neque ut ad utrumlibet contingens, sed ut determinatum ad unum; & propter hoc infallibiliter subdi potest creatæ cognitioni, utpote sensui visus; sicut cum video Socratem sedere. Alio modo potest considerari contingens, ut est in sua causa: & sic consideratur, ut futurum, & ut contingens nondum determinatum ad unum, quia causa contingens se habet ad opposita; & sic contingens non subditur per certitudinem alicui cognitioni. Unde quicumque cognoscit effectum contingentem in causa sua tantum, non habet de eo, nisi conjecturalem cognitionem*. Hæc D. Th. Quærimus ergo, an Deus futura contingentia cognoscat, & quomodo?

II. In re tam certa non defuerunt, qui turpiter erraverint. Mitto blasphemiam VWaltheri Lolhardi, qui sæculo 14. per Germaniam, Austriam, & Bohemiam inter cætera sparsit, Deum *nescire mala, quæ sub terra fiunt*, merito propterea exustus Coloniæ an. 1321. In quo errore cum quædam puella pertinaciter versaretur, & propterea flammis esset damnata, dum ad supplicium cremanda duceretur, interrogata, an esset Virgo, respondisse fertur, *sum Virgo super terram, non sub terra*. Hæc inquam prætermitto. *Circa hoc* (ait S. Th. q. 2. de verit. art. 12.) *diversimode est erratum. Quidam enim de divina scientia judicare volentes ad modum scientiæ nostræ dixerunt, quod Deus futura contingentia non cognoscat. Sed hoc non potest esse, quia secundum hoc non haberet providentiam de rebus humanis, quæ contingenter eveniunt. Et ideo alii dixerunt, quod Deus omnium futurorum scientiam habet, sed cuncta ex necessitate eveniunt, alias scientia Dei tolleretur de eis*. Hoc ut evitaret Cicero *lib. de divinatione c.* 2. & ut in Deo providentiam, liberumque arbitrium in homine tueretur, & ne omnia fato evenire cogerentur, abstulit a Deo præscientiam futurorum. Quare, ut ait D. August. *lib. de Civit. Dei c.* 9. *dum vult facere liberos, facit sacrilegos. Nos igitur* (loquor cum Augustino laudato) *adversus istos sacrilegos autus, atque impios, & Deum dicimus omnia scire, antequam fiant; & voluntate nos facere, quidquid a nobis nonnisi volentibus fieri sentimus, & novimus*. Primum in præsenti; secundum præstabimus in sequentibus.

§. II.

Veritas Catholica.

III. DIco. Deus ab æterno certo, & infallibiliter novit omnia futura, etiam contingentia. Hanc veritatem clamant Scripturæ. Psal. 138. v. 3. & 4. *Intellexisti cogitationes meas de longe, semitas meas, & funiculum meum investigasti, & omnes vias meas prævidisti*. *Dan.* 13. *v.* 22. exclamavit Susanna: *Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia, antequam fiant*. Et *c.* 2. *v.* 28. *sed est* (inquit Daniel) *Deus in Cælo, revelans mysteria, qui indicavit tibi, Rex Nabuchodonosor, quæ ventura sunt in novissimis temporibus*. Et *v.* 29. *qui revelat mysteria, ostendit tibi, quæ ventura sunt*. Hinc

IV. Hoc idem confirmant ii textus, qui Dei prædictiones de rebus futuris enuntiant. Quare, inquit Origenes *lib.* 5. contra Celsum, *futurorum prædictio divinitatis nota est, & character*. Et Tertullianus *Apologetic. c.* 20. *Idoneum* (inquit) *testimonium divinitatis, veritas divinationis*, sumens divinationem pro prophetia. Hoc idem testatur Isaias *c.* 41. *v.* 22. ubi, ut ostendat Gentilium numinum inanitatem, provocat ea ad annuncianda futura; *Accedant* (inquit) *& nuntient nobis quæcumque ventura sunt*. Et v. 23. *Annuntiate, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dii estis vos*. Hinc lumen Propheticum, alicui homini communicatum, est participatio quædam præscientiæ Dei. *De præscientia Dei quid dicam, qua tantos habet testes, quantos fecit Prophetas?* ait Tertullianus *l.* 2. *adversus. Marcion. c.* 5. Ideoque prophetia dicitur divinatio, quia inhabitantis divinitatis in homine signum est. At superfluum est pro re tam certa quærere testimonia, cum Augustinus loc. citat. *lib.* 5. *de Civit. c.* 9. aperte dicat de Cicerone negante Deo præscientiam futurorum: *Multo sunt tolerabiliores, qui vel sydera fata constituunt, quam ille, qui tollit præscientiam futurorum. Nam & confiteri esse Deum, & negare præscium futurorum, apertissima insania est*.

V. Ratio hoc idem demonstrat. Primo, cum Deus omnium futurorum, etiam contingentium, causa sit, ea cognoscit, quando in tempore illa producit, ne dicamus, eum agere cæco, & ignaro modo, nesciens quid agat. Ergo cum divina cognitio sit invariabilis, nec possit aliquid cognoscere modo, quod non cognoverit semper, ne admittamus pro tempore anteriori in eo ignorantiam, dicendum, eum habuisse semper, & consequenter ab æterno, futurorum cognitionem.

VI. Secundo, futura contingentia sunt ab æterno cognoscibilia; ergo Deus, cujus scientiam, utpote infinitam, nihil incognoscibile latere unquam potuit, ea ab æterno cognovit. Antec. prob. Futura contingentia sunt vere ab æterno futura, quidquid vere existit pro aliquo tempore, toto tempore, seu duratione antecedente ejus existentiam, sive finita sit, sive infinita; vere est futurum, seu verum est, quod aliquando erit; ergo vel Deus ab æterno aliquod verum non cognovit, vel cognovit futura contingentia.

VII. Tertio. Quod certo, & infallibiliter ea cognoscat, probat S. Th. hoc *art.* 13. *& q.* 2. *de verit. art.* 12. citatis, sic. Deus videt contingentia; non secundum esse contingens ad utrumlibet, prout sunt in suis causis proximis, sed secundum esse determinatum, quod habent, prout sunt in se ipsis; ergo illa certo, & infallibiliter cognoscit. Consequentia patet ex prænotatis §. 1. Antecedens, priusquam probem, explico. Contingens esto suapte natura semper sit contingens, idest, potens non esse, non semper est in statu contingentiæ, seu indifferentiæ ad utrumlibet. Dum est in causa contingenti, est in statu contingenti, dum vero in se est, esto contingens sit, non est tamen in statu contingentiæ, sed determinationis ad esse, quia unumquodque, quod est, quando est, necesse est esse. Sic ergo explicatum antecedens probo ex Div. Thoma hoc *art.* 13. sic. Deus cognoscit omnia futura contingentia secundum quod actu sunt ab æterno simul; sed ab æterno simul sunt actu præsentia Deo; ergo &c. maj. prob. Æternitas tota simul existens ambit omne tempus, & cognitio Dei mensuratur æternitate; ergo & simul, quæ successive fiunt, novit Deus, & omnia quæ sunt in tempore, sunt præsentia Deo ab æterno, non solum *ea ratione, qua habet rationes rerum apud se præsentes*, idest, ut cognita cognoscenti: *Sed quia ejus intuitus ab æterno fertur super omnia, ut sunt in sua præsentialitate*, idest, ut sunt æternitati præsentia. Quod superius ostendimus *q.* 4. *dub.* 2. Hinc aperitur via dubitandi, an realis futurorum præsentia in æternitate conducat ad certitudinem divinæ cognitionis: quare sit

§. III.

§. III.

An præsentia futurorum in æternitate requiratur, ut Deus certo illa cognoscat?

VIII. DUm diximus, *Deum certo cognoscere futura contingentia, quia cognoscit illa ut præsentia in æternitate*, non intendimus, quod ipsa præsentia futurorum sit objectum immediatum, vel medium, in quo futura cognoscat: dicemus enim, Deum non cognoscere futura (sicut de quacumque creatura jam diximus) immediate in se ipsis: sed intendimus, quod Deus videns suam æternitatem, seu suam essentiam ut determinatam æternitate, videat omnia, quæ in æternitate existunt, & proinde etiam futura; sicut dicemus, quod videns sua decreta, seu suam essentiam determinatam per decretum, quo statuit, hoc aliquando fore, videat futurum.

IX. Difficultas est, an hæc præsentia futurorum in æternitate sit conditio necessario requisita, ut cognitio Dei certa, & infallibilis sit: an vero solum requiratur, ut cognitio Dei sit invariabilis? in quo non concordes invenio D. Thomæ Discipulos; Quid autem sentiam, sequentibus breviter exponam.

X. Dico primo. Præsentia futurorum in æternitate est sufficiens ad fundandam in Deo cognitionem certam & infallibilem de illis. Est expressa S. Doctoris, cujus ratione supra relata prob. Id est sufficiens ad fundandam cognitionem certam & infallibilem de futuris contingentibus, quod facit, ut cognoscantur, non quatenus contingentia sunt ad esse, vel non esse, sed ut determinata ad esse, seu quod ea repræsentat in medio, non indifferenter, sed determinate ea continente; sed futura cognita ut præsentia in æternitate, non cognoscuntur ut contingentia, sed ut determinata ad esse, & æternitas est medium ea determinate continens; ergo futura visa in æternitate præsentia fundant cognitionem certam ac infallibilem de illis. Sicut qui ab alta turri simul videns omnes successive transeuntes per viam, quia omnes habet præsentes, certam de illis habet cognitionem. Exemplum est S. Th. *hoc art. 13. ad 3. & q. 2. de verit. art. 12.*

XI. Confirmo ex eodem D. Thom. Ideo qui cognoscit contingentia, ut futura in sua causa proxima contingente, ea non cognoscit certo, sed solum conjecturaliter, quia ea cognoscit in causa, & medio contingente, & se habente ad opposita; sed futura cognita, ut præsentia in æternitate, cognoscuntur, non in medio indifferente, sed determinate continente futura, ut præsentia; ergo futura sic cognita subduntur infallibili, ac certæ cognitioni.

XII. Dico secundo. Præsentia futurorum in æternitate non est unicum medium, in quo Deus possit illa certo ac infallibiliter cognoscere. Quare licet per impossibile in æternitate præsentia non essent, adhuc in alio medio certo, & infallibiliter ea cognosceret, nempe in suo decreto æterno, & immutabili, ut suo loco dicemus. Hanc quoque indicat S. Thomas hoc *art. 13.* his verbis: *Omnia, quæ sunt in tempore, sunt Deo ab æterno præsentia, non solum ea ratione, quæ habet rationes rerum apud se præsentes, sed quia ejus intuitus fertur ab æterno supra omnia, pro ut sunt in sua præsentialitate.* Ubi D. Thomas, præter modum cognoscendi futura ratione præsentialitatis physicæ in æternitate, supponit alium modum certo cognoscendi ea, ut objective præsentia in earum rationibus, seu ideis, quas in se habet, non absolute sumptis, sed adjuncto decreto de illis producendis.

XIII. Confirmatur hoc ex eodem S. Doctore *qu. 3. de verit. art. 6.* ubi docet, omnium ideas esse in Deo, & in suis ideis omnia habere, etiam ea, quæ nec sunt, nec fuerunt, nec erunt, aliter tamen, & aliter. *Nam ad ea, quæ sunt, vel erunt, vel fuerunt producenda, determinatur ex proposito divina voluntatis, non autem ad ea, quæ nec sunt, nec erunt, nec fuerunt.* Ergo ea, quæ sunt, vel erunt, vel fuerunt, potest cognoscere in suis ideis, ut per decretum determinatis. Sed de his infra. Quapropter quando S. Thomas pro adstruenda certitudine divinæ cognitionis circa futura contingentia recurrit ad eorum præsentiam in æternitatem non intendit excludere omne aliud medium infallibile, & præsertim suam essentiam, vel rationes rerum per decretum factas illi præsentes, sed solum causas proximas contingentes, quæ præcisa quacumque determinatione, & secundum se sumptæ indifferentes sunt ad utrumlibet. Unde rationem reddens ait: *quia causa contingens se habet ad opposita. Unde quicumque cognoscit effectum contingentem in sua causa tantum* (idest nondum determinata) *non habet de eo, nisi conjecturalem cognitionem.*

XIV. Dico tertio. Præsentia physica futurorum in æternitate necessario requiritur, ut Deus habeat de illis invariabilem notitiam. Hanc docet D. Augustinus *lib. 2. q. ad Simplician. q. 2.* dicens: *Quid est enim præscientia, nisi scientia futurorum? Quid autem futurum est Deo, qui omnia supergreditur tempora? Si enim scientia Dei res ipsas habet, non sunt ei futuræ, sed præsentes; ac per hoc non jam præscientia, sed tantum scientia, dici potest. Si autem sicut in ordine temporalium creaturarum, ita & apud eum nondum sunt, quæ futura sunt, sed ea prævenit sciendo, bis ergo ea sentit: Uno quidem modo secundum futurorum præscientiam: altero vero secundum præsentium scientiam. Aliquid ergo temporaliter accedit scientia Dei; quod absurdissimum, atque falsissimum est. Nec enim potest, quæ ventura præscit, esse, cum venerint, nisi bis innotescant; & prænoscendo, antequam sint, & cognoscendo, cum jam sunt. Ita fit, ut (quod longe a veritate sectusum est) temporaliter aliquid accedat scientiæ Dei, cum temporalia, quæ præsciuntur, etiam præsentia sentiuntur, qua non sentiebantur antequam fierent, sed tantummodo præsiebantur.*

XV. Ex his pulcherrimis S. Augustini verbis formatur hic discursus. Si futura contingentia toto tempore futuritionis essent, ac cognoscerentur a Deo, ut futura, & solum essent, ac cognoscerentur ab ipso, ut præsentia, quando in tempore adveniunt, jam bis ea cognosceret: uno quidem modo ut futura per præscientiam ab æterno, & toto futuritionis tempore, cum fiunt existentia; & insuper, dum in tempore, quæ futura erant, fiunt existentia, aliquid temporaliter accideret divinæ scientiæ: mutaretur enim de præscientia in scientiam, de abstractiva in intuitivam; sed hoc absurdissimum reputat Augustinus; ergo præsentia futurorum Deo in æternitate necessaria est, ne scientia Dei mutetur.

XVI. Urgetur, & præoccupatur responsio. Ex eo, quod Deus bis cognoscat futura, uno modo antea, ut futura, alio modo post, nempe ut præsentia, vel Deo accedit novus modus intrinsecus cognoscendi ea, seu nova cognitio, vel accedit ei solum nova extrinseca denominatio. Si dicas primum; ergo concedis in Deo, quod absurdissimum reputat S. Augustinus. Si vero dicas secundum; ergo ex eo, quod Deus bis cognoscat futura, nullum sequitur absurdum contra mentem Augustini.

XVII. Confirmatur primo. Eo ipso, quod Anti-Christus non sit ab æterno præsens Deo, Deus format judicium, quo affirmat, Anti-Christum esse sibi futurum; sed hoc judicium nequit subsistere; adveniente tempore Anti-Christi; ergo deficeret hoc judicium Deo, & adveniret aliud judicium, quo affirmaret, Anti-Christum non esse sibi amplius futurum, sed præsentem. Sicut ergo, si Deus decerneret aliquid in tempore aliter ac ab æterno decrevisset, ex quo creatura fieret in tempore de possibili futura, sequeretur mutatio, nedum ex parte creaturæ, sed etiam ex parte divinæ voluntatis; ita si Deus judicaret aliter in tempore ac judicavit ab æternio, ex quo creatura de futura facta sit præsens, jam sequeretur mutatio, nedum ex parte creaturæ, sed etiam ex parte scientiæ divinæ.

XVIII. Confirm. secundo. Relatio scientis ad scitum, sicut & volentis ad volitum, non terminatur ad scitum, & volitum, ut est in se ipso, sed ut est in sciente, & volente; ergo si res, ut est in scientia Dei, variaretur, nimirum modo esset a Deo scita, ut ei futura, modo ut ei præsens, variaretur non solum res scita, sed etiam scientia. Ant. est D. Thomæ *hac q. 14. art. 15. ad 1.* ubi statuens differentiam inter relationem scientis, & relationem Domini, & Creatoris: *Dominus* (inquit) *& Creator, & hujusmodi important relationes ad creaturas, secundum quod in se ipsis sunt. Sed scientia Dei importat relationem ad creaturas, secundum quod sunt in Deo, quia secundum hoc est unumquodque in actu, secundum quod est in intelligente. Res autem creata sunt in Deo invariabiliter, in se ipsis autem variabiliter.*

XIX. Sed dices primo. Deus scivit, Christum nasciturum, nunc autem non scit, Christum nasciturum, quia Christus nasciturus non est, sed natus; ergo non quidquid Deus scivit, scit.

Respondeo ex D. Th. *art. 15. cit. ad 3. & q. 2. de verit. art. 13. ad 7.* consequens esse verum, *si ad enuntiabilia referatur: sed ex hoc sequitur, quod scientia Dei sit variabilis. Sicut enim absque variatione divina scientia est, quod sciat, unam, & eamdem rem quandoque esse, & quandoque non esse; ita absque variatione divina scientia est, quod scit, aliquid enuntiabile quandoque esse verum, & quandoque esse falsum, quia* (ut ait q. 2. de verit. cit. ad 7.) *simul intuetur utrumque tempus, quo utrumque enuntiabile est verum.* Quod in sententia contraria non accideret: ut enim probatum est, cognitio, qua Deus cognosceret Christum, ut natum, esset diversa ab ea, qua cognovit eumdem, ut nasciturum.

XX. Dices secundo. Si ablata præsentia futurorum in æternitate non stat invariabilitas, & immutabilitas divinæ scientiæ, neque stabit certitudo, & infallibilitas ejusdem; sed hoc est contra dicta conclusione præcedente; ergo &c. Major prob. Nam non potest stare omnimoda certitudo divinæ cognitionis, si ad mutationem objecti illa mutetur.

XXI. Resp. neg. maj. cujus oppositum ostendunt assensus fidei, & cognitio prophetica, quæ licet variabilis sit, & mutabilis ratione objecti, dum illi transit de futuro in præsens, habet tamen omnimodam certitudinem, & infallibilitatem ex medio, in quo fundatur, divina nempe revelatione, quæ est veluti quædam impressio, & participatio divinæ scientiæ, ejusque certitudinis, ut docet D. Thom. *2. 2. q. 171. art. 6. in corp. & ad 1.* Unde, quamvis sublata præsentia futurorum coram Deo in æternitate, immutabilitas divinæ scientiæ, immo & ipsius æternitatis non subsisteret, subsisteret tamen certitudo scientiæ divinæ, quia hæc fundatur in decreto divinæ voluntatis, quod adhuc fixum, & immutabile manere posset, etsi mutaretur scientia ad mutationem objecti; esto enim mutata divina scientia per consequentiam materialem sequeretur mutatio omnium prædicatorum divinorum, mutata tamen scientia non sequeretur per consequentiam formalem mutatio in Decreto; licet enim alia cognitione Deus cognosceret futurum, alia præsens, eadem tamen voluntate immobiliter permanente, posset adhuc velle, hoc uno tempore esse futurum, alio præsens, nunc fieri hoc, & postea fieri contrarium, ut docet D. Th. *1. p. q. 19. art. 7.*

XXII. Dico quarto. Præsentia physica futurorum in æternitate necessario requiritur, ut Deus illa intuitive cognoscat. Hoc assertum tetigimus *qu. 4. dub. 2.* §. 4. Nunc probo ex D. Th. *q. 3. de veritat. art. 3. ad 8.* ubi dicit, quod simplex notitia excludit *admixtionem ejus, quod est extra genus notitiæ, sicut est existentia rerum, quam addit scientia visionis.* Ex quibus sic formo rationem. Ut Deus ab æterno cognoscat futura contingentia intuitive, & scientia visionis, ut distincta a simplici notitia, necessario requiritur, quod illi sint existentia per existentiam, quæ sit extra genus notitiæ; sed talis existentia non est ea, quæ pure est objectiva, hac enim existit etiam objectum simplicis notitiæ, sed est existentia realis, & physica; ergo hæc gaudere debent futura, ut a Deo scientia intuitiva ab æterno videantur; sed hæc non gaudent ab æterno in se ipsis; ergo ea gaudere debent in æternitate præcontenta.

XXIII. Confirmatur. Quod est futurum, vel præteritum, non est physice præsens, sed absens: esto enim concernat existentiam, eam tamen respicit, illud ut habendam, istud ut jam habitam, nam futurum nunc non est, sed erit, præteritum tunc non est, sed fuit; sed quod acta exercito non est existentia, quæ sit extra genus notitiæ, nempe reali, & physica, non est objectum notitiæ intuitivæ, & scientiæ visionis: cognitio nempe prophetica, quamvis terminetur ad futura, ut objective in mente Prophetæ præsentia, quia tamen non fuit Prophetæ physice præsentia, cognitio Prophetica intuitiva non est, sed abstractiva; ergo &c. Sic ergo de ratione intuitionis est habere objectum præsens, sic de ratione gaudii habere bonum possessum; sed ad gaudium requiritur bonum actu realiter possessum, & non solum in apprehensione, nec sufficit bonum possidendum; ergo ad visionem, seu intuitionem non sat erit objectum esse videnti objective præsens, nisi etiam sit præsens realiter.

XXIV. Tandem ostenditur sæpe dicto exemplo, quo utitur D. Th. Transeunti per aliquam viam possunt esse objective præsentes, & qui ante ipsum transierunt, & qui post ipsum transituri sunt: & tamen solus ille dicitur proprie videre illos, cui, utpote eos contemplanti ex alta specula, omnes sunt etiam physice præsentes; ergo ad visionem non sufficit, ut objectum sit objective præsens videnti, nisi sit etiam physice.

XXV. Dices. Si dum cognosco Petrum absentem, ejus essentiam, & existentiam per propriam speciem, Petrus fiat mihi physice præsens, manebit eadem cognitio; sed posita Petri præsentia, erit intuitiva; ergo & ante intuitiva erat.

Urgeo. Cognitio infusa Titio existenti Bononiæ de Joanne existente Romæ attingens quidditatem ejus, ac cætera accidentia, esset intuitiva, & tamen objectum non esset Titio physice præsens; ergo &c.

XXVI. Respondeo primo in sententia eorum, qui notitiam intuitivam specie essentiali distinguunt ab abstractiva, negando maj. Mihi enim adveniente Petro, & facto physice præsenti, exurgit in me nova cognitio, quæ sic intuitiva, distincta a priori abstractiva. Resp. secundo in sententia illorum, qui volunt, notiam abstractivam, & intuitivam distingui solum accidentaliter, eo quia notitia intuitiva solum addit supra abstractivam aliquid extra genus notitiæ, nempe physicam existentiam, Concessis præmissis, neg. conseq. Sicut enim non valet. Si dum, Petro sedente, affirmo, Petrum sedere, Petrus a sessione cesset, & surgat, manet eadem propositio formalis; sed, Petro a sessione cessante, est falsa; ergo erat falsa, Petro sedente. Ita non valet. Si, dum cognosco Petrum absentem, Petrus fiat præsens, manet eadem numero cognitio; sed, Petro facto præsente, est intuitiva; ergo & prius.

Ad id, quod urgetur, admisso antecedente, nego consequentiam. Nam Joannes existens Romæ, esto non esset Petro existenti Bononiæ præsens localiter, esset tamen in se absolute physice existens, ideoque posset per speciem infusam Titio intuitive repræsentari; secus de eo, qui nec localiter, nec absolute in se foret existens.

Adverto demum, quod esto futura sint Deo physice præsentia in æternitate, sumpta non adæquate, sed inadæquate, ut nimirum æquivalet tempori, quo de facto existent, quia tamen illa differentia temporis semper Deo præsens est, licet non pro semper, ideo semper a Deo videtur, & cum ea omnia, quæ in illa sunt extitura, Deo semper præsentia sunt.

§. IV.

An Scientia Dei de futuris contingentibus salvet eorum contingentiam?

XXVII. NOdus hic solutu difficillimus semper visus est nedum Theologis, & Patribus, sed peritioribus Philosophis, quorum aliqui, ut ponerent in Deo præscientiam, a rebus sustulere contingentiam, & omnia necessitate evenire dixerunt; alii, ne a rebus contingentiam tollerent, negarunt Deo præscientiam, ut supra tetigimus. A nobis utrumque conciliandum est. Nimirum & præscientia in Deo statuenda, & contingentia rerum salvanda.

XXVIII. Dico ergo. Divina præscientia, seu scientia de futuris contingentibus, esto infallibilis, non destruit rerum contingentiam; & probatur. Quotiescumque, esto causa prima, & universalis sit necessaria, & necessario inferens effectum, causa tamen proxima contingens est, effectus contingenter evenit, non necessario; sed esto scientia Dei de contingentibus necessaria, & infallibilis sit, causæ tamen proximæ sunt contingentes; ergo effectus contingenter eveniunt. Maj. probatur. Effectus enim contingens a causa universali non præscitur, nisi ut ponendus a causa proxima, & sub eadem præscientia, sub qua cadit effectus contingenter futurus, cadit etiam ordo causarum, a quibus, & per quas proxime ponendus est. Ita discurrit D. Thom. tum *1. p. q. 14. art. 13.* tum *q. 2. de verit. a. 14. in cap. & ad 5.*

XXIX. Eodem fere modo discurrit S. August. *lib. 5. de Civit. Dei cap. 9.* ubi ex quo præsciat Deus non solum, quod futurum est, sed etiam causas proximas, quibus in esse ponitur, arguit, quod contingenter futura præsciat, quæ ex causis proximis contingenter futura sunt: *Non est autem* (inquit) *consequens, ut si Deo certus est omnium ordo causarum, ideo nihil sit in nostra voluntatis arbitrio. Et ipsa quippe nostra voluntates in causarum ordine sunt, qui certus est Deo, ejusque præscientia continetur, quoniam & humanæ voluntates humanorum operum causa sunt. Atque ita qui omnes rerum causas præscivit, profecto in eis causis etiam nostras voluntates ignorare non potuit, quas nostrorum operum causas esse, præscivit.* Et post multa. *Quomodo igitur* (subdit) *ordo causarum, qui præsciens certus est Deo, id efficit, ut nihil sit in nostra voluntate, cum in ipso causarum ordine magnum habeant locum nostræ voluntates?*

XXX. Sed audiamus, quibus momentis ducebantur, qui, ne everterent in rebus contingentiam, negabant in Deo præscientiam. Primo dicebant. Posita in Deo scientia de futuris contingentibus, sequitur, vel quod scientia Dei sit fallibilis, vel quod amplius contingentia non sint, sed necessaria. Nam futurum a Deo scitum, vel potest non evenire, & sic scientia Dei potest falli, vel non potest evenire, & sic non est contingens, sed necessarium.

Respondet D. Th. *q. 2. de verit. art. 12. ad 2.* negando, sequi utrumque inconveniens allatum. Nam Deus cognoscit futurum, non ut futurum, quo pacto est contingens, & potens non evenire, sed ut præsens, quo pacto est determinatum ad esse, unumquodque enim ex quo est, determinate est, & necesse est esse. *Non tamen sequitur* (inquit D. Thom.) *quod simpliciter dicatur necessarium, nec quod scientia Dei fallatur, sicut & visus meus non fallitur dum video, Petrum sedere, quamvis hoc sit contingens.*

Aliter responderi potest, quod esto futurum, ut stat sub scientia Dei, non possit non evenire, absolute tamen potest non evenire; ex quibus primum satis est, ut scientia Dei non sit fallibilis: secundum vero, ut futurum contingenter existat.

XXXI. Dicebant secundo. Si scientia Dei est infallibilis respectu alicujus objecti, non potest terminari ad illud aliter ac terminatur; ergo objectum non potest aliter evenire.

Respondet D. Th. *in 1. dist. 39. art. 1. ad 3.* quod si Deus scivit aliquid, non potest aliter scire, non absolute, sed ex suppositione, quod scivit, & voluit: quia scientia ejus est immobilis, & voluntas immutabilis, & sic res ex hac suppositione, quod sit scita, non potest aliter evenire; quod necessitatem absolutam non infert. *Illud, quod est* (ait D. Th. laudatus) *necesse est esse dum est; absolute tamen loquendo, non necesse est esse: ita & Deo scire necesse est, dum scit: non tamen necesse est eum scire, nisi necessitate immobilitatis, quæ voluntatis libertatem non excludit; & hac libertas significatur, cum dicitur, quod Deus potest hoc non scire, vel non velle.*

XXXII. Dicebant tertio. In omni conditionali, cujus antecedens est necessarium absolute, consequens est necessarium absolute; sed hæc est quædam conditionalis vera, *si Deus scivit, hoc contingens futurum esse, hoc erit*, quia scientia Dei non est nisi verorum: Hujus autem conditionalis antecedens necessarium est absolute, tum quia est æternum, tum quia significatur, ut præteritum; ergo & consequens est necessarium absolute. Maj. probatur. Sic enim se habet antecedens ad consequens, sicut principia ad conclusionem; sed ex principiis necessariis non sequitur conclusio, nisi necessaria; ergo &c.

Confirmatur. Si Deus præscit infallibiliter Petri fletum post negationem, nequit Petrus tollere illud antecedens, nempe quod Deus sciverit illum fletum; ergo neque potest tollere illum fletum: in bona enim consequentia, qui non potest tollere antecedens, neque potest tollere conseq. ergo fletus Petri non erit contingens.

XXXIII. Respondet D. Thomas huic argumento, quod sibi objicit, tum hoc *art. 13.* & est *2.* tum *q. 2. de verit. art. 12.* & est *7.* negando absolute min. Nam hoc antecedens *Deus scivit* non est necessarium absolute, potuit enim Deus non scire, hoc contingens esse futurum, sed solum ex suppositione, nempe, cum sciverit, necesse est, ut sciat, quia scientia ejus est invariabilis, & immobilis, sicut & voluntas. Hoc eodem modo necessarium est, esse futurum id, quod est a Deo scitum futurum, necessarium inquam, non absolute, sed ut subest divinæ scientiæ, seu ut illatum ex illo antecedente *Deus scivit*: cum quo optime stat, quod absolute, & in se sit contingens. *Quando enim* (ait D. Th. hic ad 2.) *in antecedente ponitur aliquid pertinens ad actum animæ, consequens est accipiendum, non secundum esse, quod in se est, sed secundum quod est in anima. Aliud enim est esse rei in se ipsa, & esse rei in anima. Ut puta si dicam: si anima intelligit aliquid, illud est immateriale, intelligendum est, quod illud est immateriale, secundum quod est in intellectu, non secundum quod est in seipso. Et similiter si dicam: si Deus scivit aliquid, illud erit: consequens intelligendum est, prout subest divinæ scientiæ, scilicet pro ut est in sua præsentialitate: & sic necessarium est, sicut antecedens: Quia* omne, quod est, dum est, necesse est esse, *ut dicitur 1. Periermenas cap. 6.* Eodem modo resp. *q. 2. de veritat.* citata *art. 12. ad 7.*

XXXIV. Hinc ad confirm. dist. conseq. ergo neque potest tollere illum fletum, ut subest illi antecedenti, conc. conseq. absolute, nego conseq. Qui enim non potest tollere antecedens inferens infallibiliter consequens, esto non possit tollere absolute, & in se: quia, cum in antecedente ponitur aliquid pertinens ad actum animæ, consequens debet accipi secundum esse, quod habet in anima, non secundum esse, quod habet in se, & maxime si antecedens inferat consequens, ut libere ponendum, sicut in casu de fletu Div. Petri: tunc enim licet fletus ut a Deo scitus sit necessario ponendus, necessitate

tate D. Petri, est ponendus libere, sic, ut possit absolute non poni.

XXXV. Dicebant quarto. Omne scitum a Deo necesse est esse; sed nullum contingens futurum necesse est esse; ergo nullum contingens scitur a Deo.

XXXVI. Confirmatur. Ex una majori necessaria, & alia minori *de inesse* sequitur conclusio de necessitate, ut patet in hoc syllogismo: omne scitum a Deo necesse est, esse verum; sed *Petrus currit* scitur a Deo; ergo necesse est esse verum, quod Petrus currit; ergo scientia Dei tollit contingentiam.

XXXVII. Respondetur distinctione superius data, concedendo maj. de scito ut scito, & ut dicit ordinem ad scientem, negando vero maj. de re, quæ est scita. Pro majori tamen intelligentia advertit S. Thomas hic *ad 3.* & citata *q. 2. de verit. art. 12. ad 4.* quod hæc propositio *omne scitum a Deo est necessarium* consuevit distingui: aut enim est *de re*, aut *de dicto*. Si intelligatur de re, est divisa, & falsa: & est sensus: *Omnis res, quam Deus scit, est necessaria*. Si intelligatur *de dicto*, est composita, & vera: & est sensus: Hoc dictum *scitum a Deo esse necessarium ut sit*, quia non potest esse, quod Deus sciat aliquid esse, & illud non sit.

XXXVIII. Sed obstant quidam dicentes, hanc distinctionem locum habere in formis separabilibus a subjecto, & quæ sibi invicem succedere possunt in subjecto, ut si dicam, *album possibile est esse nigrum*, quæ quidem *de dicto* est falsa, & *de re* est vera: res enim, quæ est alba, potest esse nigra, quia ab ea separari potest albedo, & succedere nigredo; Non tamen habet locum in formis inseparabilibus a subjecto, ut si de corvo dicas. *Corvum nigrum possibile est esse album*: hæc enim sive sumatur *de dicto*, sive *de re* falsa est. Atqui esse scitum est inseparabile a re, quia, quod est scitum a Deo, non potest esse non scitum, vel scitum; & postea nescitum; ergo &c.

XXXIX. Respondeo ex D. Thom. laudatis locis, discursum factum vim habiturum, si *hoc, quod dico scitum, importaret aliquam dispositionem* ex natura rei *subjecto inhærentem*, sicut nigredo est dispositio ex natura rei inhærens corvo. *Sed cum importet actum scientis ipsi rei scita extrinsecum* (*licet semper sciatur*) *potest aliquid attribui secundum se, quod non attribuitur ei, in quantum fiat sub actu sciendi. Sicut esse materiale attribuitur lapidi secundum se, quod non attribuitur ei, secundum quod est intelligibile*. Addit idem S. D. q. 2. verit. cit. ad 4. *quod quamvis scientia Dei invariabilis sit, & semper eodem modo: tamen dispositio, secundum quam res refertur ad Dei cognitionem invariabilem, non semper eodem modo se habet ad ipsam; referitur enim res ad Dei cognitionem; secundum quod est in sua præsentialitate, præsentialitas autem rei non semper ei convenit: unde res potest accipi cum tali dispositione, vel sine ea, & sic per consequens potest accipi illo modo, quo refertur ad Dei cognitionem, vel alio modo.*

Ad confirm. eodem modo dico, quod hæc propositio, *omne scitum a Deo necesse est, esse verum*, si est *de dicto*, facit sensum compositum, & est vera, non enim potest esse, quod Deus sciat aliquid esse, & illud non sit: si vero *de re*, facit sensum divisum, & est falsa, quia falsum est, quod omnis res a Deo scita, sit necessaria.

XL. Dicebant tandem. Posita scientia Dei de his futuris, collitur de medio humana cura, si enim Deus aliquid præscivit fore, illud erit, sive humana cura adhibeatur sive non.

Hoc argumentum inferius tractabitur; Interim respondeo ex doctrina S. Augustini supra relata: quod sicut Deus præscivit, futura videlicet, ita præscivit etiam curam, & diligentiam humanam, & cætera media, quibus suo tempore in esse ponentur; sicut enim præscivit messem hoc anno colligendam, ita labores, & sudores rusticorum in colenda terra, seminando, & metendo, præscivit. Quare tantum abest, quod divina præscientia tollat de medio humanam curam, quin potius illam inferat. Quæ hactenus dicta sunt de præscientia circa contingentia, viam parant ad ea, quæ inferius de divinis decretis dicturi erimus. Ea propter bene notanda sunt.

In præsenti tota controversia inter nos, & Molinistas vertitur in designando medio, in quo Deus cognoscat futura contingentia. Hoc in sequentibus tractabimus.

DUBIUM II.

An Deus cognoscat futura contingentia absoluta in sua essentia, & divinis ideis pro priori ad suum decretum exercite existens?

§. I.

Non cognoscit in Essentia pro priori ad decretum.

I. DIco primo. Deus non potest cognoscere futura contingentia absoluta in sua Essentia habente rationem Ideæ pro priori ad decretum suæ voluntatis exercite existens. Probatur. Essentia divina, sive per modum speciei, sive per modum ideæ considerata, pro priori ad decretum exercite existens non repræsentat futura contingentia; ergo non potest Deus ea cognoscere in sua essentia pro illo priori. Anteced. prob. Primo ex D. Thoma *q. 3. de verit. art. 6.* ubi ait. *Idea proprie dicta respicit practicam cognitionem, non solum in actu, sed in habitu. Unde cum Deus de his, quæ facere potest quamvis nunquam sint facta, nec futura, habeat cognitionem virtualem, nec est, nec fuit, nec erit; non tamen eodem modo, sicut est eorum, quæ sunt, vel erunt, vel fuerunt producenda, determinatur ex proposito divinæ voluntatis, non autem ad ea, quæ nec sunt, nec erunt nec fuerunt, & sic hujusmodi habent quodammodo indeterminatas ideas.* Tunc sic; sed idea divina pro priori ad decretum non concipitur, ut determinata ad producenda futura, sed ut indeterminata, cum solum determinetur per propositum suæ voluntatis; ergo pro illo priori non repræsentat determinate futura contingentia.

Secundo. Omnis repræsentatio divinæ essentiæ pro priori ad decretum liberum est omnino necessaria, quia decretum est primum prædicatum formaliter liberum; ergo si pro illo priori repræsentarentur, repræsentarentur necessario futura, & non essent contingentia.

Tertio. Id, quod non est futurum, nequit ut futurum ab essentia divina repræsentari, neque ut tale a Deo cognosci: *Quomodo enim recte dicitur præsciri futurum, quod non est futurum?* (inquit S. Augustinus *lib. 1. de anima, & ejus origine cap. 12.*); sed pro priori ad decretum nihil est, aut potest concipi, ut futurum; ergo &c. Minor ex dicendis constabit. Effectus enim nequit præcedere, aut prævie cognosci ad causam; sed decretum Dei sicut est prima causa, quare res sit, ita est prima causa, quare res contingens, utpote indifferens, potius futura sit, quam non futura; ergo &c.

II. Ex hoc præcluditur ratio præcipua contrariæ sententiæ volentis, quod divina essentia pro priori ad decretum repræsentet futura contingentia, quia est infinita in repræsentando. Procedit enim ex falso supposito, nempe quod pro illo priori res sit, vel concipiatur futura; at cum pro eo signo res non sit futura, sed contingens ad utrumlibet, quomodo poterit essentia divina repræsentare, ut futurum, quod non est futurum? Equidem essentia divina in repræsentando est infinita; sed est etiam vera; atqui si repræsentaret futurum, quod futurum non est, repræsentaret falsum, & divinus intellectus si cognosceret, falsum cognosceret; ergo &c. Nec tamen proinde tollitur, quin etiam pro illo priori sit infinita in repræsentando, repræsentat enim quidquid pro eo priori repræsentabile est; Quod autem non repræsentet futurum, non est ex defectu suæ repræsentationis, sed ex defectu objecti, nempe futuri, quod, cum pro illo priori nondum sit repræsentabile non est.

III. Nec valet, si dicas, quod data hypothesi, quod non esset causa futurorum essentia divina, adhuc illa repræsentaret, quia infinita,

Nam hæc hypothesis destruit se ipsam. Si namque divina essentia non esset causa futurorum, non esset idea nec haberet rationes illorum. Quomodo ergo ea repræsentaret? repræsentaret, quia infinita, non repræsentaret, quia eorum idea non esset.

IV. Ergo (inquies) essentia divina est idea futurorum ergo ea præciso quocumque decreto repræsentat.

Resp. ex D. Th. *cit. q. 3. de verit. art. 6.* quod essentia divina aliter est idea rerum ante decretum, aliter supposito decreto. Nam ante est idea solum in habitu, & indeterminate, solum autem est idea actu, & determinate repræsentans producenda, ex proposito suæ voluntatis. Quare disting. secundum consequens, ea repræsentat indeterminate, & in habitu, conced. conseq. determinate, & actu, nego conseq.

V. Replicas. D. Th. *1. p. q. 14. art. 13.* loquens de Deo cognoscente futura contingentia dicit, quod ea certo cognoscit, non solum quia habet rationes, seu ideas rerum apud se præsentes, sed etiam quia ipsæ res sunt ipsi præsentes. *Non solum* (inquit) *ea ratione, qua habet rationes rerum apud se præsentes, sed quia ejus intuitus fertur ab æterno supra omnia prout sunt in sua præsentialitate.* Ergo duos modos cognoscendi admittit, unum in suis ideis, alterum in eorum præsentia æternitati.

Respondeo, dist. conseq. in suis ideis jam per propositum suæ voluntatis determinatis, & factis in actu ad rerum productionem, conceido consequentiam (ideoque addit, *præsentes*) in suis ideis nondum per propositum non solum dicit, *quia habet rationes rerum apud se*, sed suæ voluntatis determinatis, & factis actu Deo objective præsentibus, nego conseq. Hæc est doctrina ejusdem S. D. supra relata ex *q. 2. de verit. art. 6.* Intendit ergo S. D. in loco adducto assignare duplicem modum, quo Deus cognoscit futura ex duplici eorum præsentia, una quidem objectiva in ideis cognitis, ut determinatis per decretum ad eorum productionem, altera physica, qua sunt illi in æternitate præsentia.

§. II.

Non in Decreto, ut futuro.

VIdentes aliqui, inter quos Suarez, essentiam divinam pro modum ideæ non esse sufficiens medium in Deo ad certam futurorum contingentium cognitionem, dicunt, ea cognoscere in suo decreto pro illo priori futuro. Contra quos

VI. Dico secundo. Deus non cognoscit futura contingentia absoluta in suo decreto, ut futuro. Prob. Decretum Divinum nequit esse, nec concipi futurum; ergo decretum ut futurum, nequit esse medium ad cognoscenda futura. Antec. prob. Primo ex D. D. Thom. *q. 2. de verit. art. 3. ad 10.* ubi de actu prædestinationis qui in ejus sententia includit actum voluntatis dicit: *Actus prædestinationis, cum mensuretur æternitate, nunquam cadit in præteritum, sicut nunquam est futurum.*

Secundo sic. Creaturæ esto sint futuræ respectu propriæ durationis, non tamen sunt futuræ Deo, neque pro aliquo priori, quia videt illas in sua æternitate, respectu cujus nihil est futurum, sed totum præsens; ergo multo minus decreta possunt

sunt a Deo videri, ut futura, eique futura esse, quæ æternitate, ut mensura sibi propria mensurantur.

Tertio. Ut aliquid sit vere futurum, omnino requiritur, ut de eo verificetur, *nunc non est, & postea erit*, ut Adversarii volunt; sed nullum est assignabile instans, in quo divino decreto circa futura verificetur, *nunc non est, sed immediate erit*, cum sit æternum; ergo &c.

VII. Respondebis, quod esto, ut aliquid formaliter, & in re sit futurum, requiratur, ut de eo in aliquo instanti reali verificetur, *nunc non est, sed erit postea*, ut tamen aliquid concipi possit cum fundamento, ut futurum, sufficit, quod pro aliquo priori rationis concipiatur, antecedere suam existentiam, seu, ut in aliquo priori concipiatur, ut non existens: & in posteriori existens: sicut in nostra sententia, qua statuimus actum intentionis, qua Prædestinati eliguntur ad gloriam, præcedere prioritate *in quo* actum electionis meritorum, in eo priori, in quo concipimus actum intentionis, non concipimus actum electionis, ut jam existentem, sed ut extiturum pro alio posteriori,

VIII. Sed contra primo. Ut aliquid intelligatur futurum, ut distinctum a præsenti, requiritur, quod in aliquo signo concipiatur, ut positive non existens; sed contra rationem æterni est, quod in aliquo signo concipiatur, ut positive non existens: alias non conciperetur, ut æternum; ergo &c.

Contra secundo. Si Deus in illo priori ad decreta cognosceret sua decreta, ut futura, ea cognosceret in sua voluntate comprehensa, & ut determinata ad ea ponenda; sed pro signo antecedente ad decreta voluntas divina non concipitur determinata ad decernendum, sed prorsus indifferens ad utrumlibet, cum non determinetur, nisi per suum decretum ergo &c.

Contra tertio. Si pro illo priori verificatur, quod decretum erit; ergo pro illo priori voluntas divina est determinata ad decernendum; sed non determinatur ad decernendum, nisi per decretum; ergo pro illo priori concipitur decretum, ut existens.

Quod confirmo sic. Voluntas divina pro illo priori ad decreta, vel est indifferens; & sic in ea non potest certo, & determinate cognosci decretum potius futurum, quam non futurum. Vel est determinata; & sic quæro: an sit determinata necessario ad decernendum, vel libere? Si primum ergo ejus decreta necessario ponentur, non libere. Si libere; ergo est determinata per propositum suæ voluntatis; ergo per decretum.

IX. Tandem sic discurro. Vel illud decretum, quod fingitur futurum, est ab intrinseco efficax, & per se infallibiliter inferens futuritionem rei, vel ab intrinseco indifferens; Si primum; ergo jam Deus cognoscit futura contingentia in suo decreto, saltem ut futuro. Si secundum (quod revera dicunt Adversarii) ergo in eo, sive futuro, sive præsenti nequit Deus certo cognoscere futura: cum in medio intrinsece indifferente ad utrumlibet, nequeat aliquid determinatum cognosci.

X. Neque id, quod adducitur pro exemplo, aut obest nobis, aut ipsis favet. Nam primo nos in Deo actum intentionis non distinguimus ab actu electionis ex parte Dei, sed solum ex parte connotatorum, & ex modo concipiendi. Secundo non dicimus, quod Deus in eo signo, quo intendit finem, concipiat electionem mediorum, ut futuram; sed dicimus, quod Deus uno, & indivisibili actu intendit finem, & eligit media: Quia tamen finis, ut intentus, est causa mediorum, ideo ex nostro imperfecto modo cognoscendi concipimus, actum divinum prius terminari ad finem, quam ad media, & dum terminatur ad finem, vocamus intentionem, dum vero ad media, electionem nominamus. Tolerabiliores tamen esset nos, si in signo intentionis conciperemus electionem futuram, quia in eo signo conciperemus divinam voluntatem determinatam per intentionem ad eligenda media. Verum Adversarii in signo antecedente decreta non possunt in voluntate divina concipere, nisi vel absolutam necessitatem, vel omnimodam indeterminationem, & indifferentiam, ut diximus.

XI. Dices. Deus antequam quidquam decerneret, scivit, quid voluntas sua decretura erat; ergo in suo decreto ut futuro potuit futura cognoscere. Antec. probatur. Deus de sua voluntate pro priori ad decretum cognovit quidquid pro illo signo est verum; sed pro illo signo est verum, quod divina voluntas decernet, seu actum liberum eliciet; nam pro illo signo hæc est falsa, *voluntas divina non decernet*, seu non eliciet actum liberum; ergo ista vera erit, *voluntas divina eliciet*; quia ex duabus contradictoriis, si una est falsa, altera debet esse vera.

Resp. neg. ant. Divinum enim decretum, cum sit æternum, nunquam potuit cognosci, ut futurum. Illa autem prioritas, de qua loquimur, cum sit prioritas, non durationis, sed intelligentiæ, non sufficit ad hoc, ut res cum fundamento concipi possit, ut futura: alias etiam divina attributa, quæ virtualiter sunt posteriora essentia, & Filius, ac Spiritus Sanctus possent pro priori originis esse, aut saltem concipi, ut futuri.

Ad prob. dico, quod si illud signum indicet *nunc*, seu instans *in quo*, seu reale, negativa propositio est vera: nam voluntas divina non eliciet; quia de facto elicit: & sic affirmativa, nempe voluntas divina eliciet, est falsa. Si vero ratione signi intelligatur prioritas illa *a quo*, qua concipitur divina voluntas secundum se, ut indifferens ad ponendum, vel non ponendum decretum, in ea neque cognosci potest decretum, ut ponendum, neque ut non ponendum, cum concipiatur in actu primo libera, & nondum ad aliquid determinata. Quare ex illis duabus propositionibus nulla est determinate vera, aut falsa, cum objectum illarum determinate nec sit, nec non sit, sed præscindat ab esse, vel non esse, ut infra dicemus. Unde neque est verum, quod eliciet, neque quod non eliciet, determinate loquendo.

XII. Si dicas, cur decreta, quæ in illo signo concipi possunt, ut possibilia, non poterunt concipi, ut futura?

Respondeo, rationem esse, quia, ut aliquid concipiatur possibile, sufficit, ut pro aliquo priori concipiatur aliqua causa, vel ratio a priori potens illud ponere, ex quo appareat ejus non repugnantia ad esse, vel non esse; quod de eo, quod ab æterno est, verificari potest: in signo enim priori ad existentiam decreti concipi potest voluntas divina, ut potens decernere, vel non decernere. At, ut aliquid concipiatur futurum, requiritur, ut pro signo antecedente ejus existentiam concipiatur causa, vel ratio a priori determinata ad dandum ei esse. Quod cum in illo signo priori ad decreta non concipitur, omnia enim, quæ pro illo concipiuntur, sunt indifferentia, ideo non est fundamentum ad concipiendum decretum, ut pro illo signo futurum. Quare a statu possibili transit ex modo concipiendi immediate ad esse præsens, sicut si Angelus esset productus ab æterno, concipi posset in signo priori, ut possibilis, sed non ut futurus, & immediate a statu possibili ad statum præsentiæ transiret. Et sic etiam creaturæ immediate transeunt a statu possibilitatis ad statum præsentiæ respectu æternitatis, quamvis respectu nostri inter utrumque statum mediat status futuritionis.

DUBIUM III.

An Deus cognoscat futura ante decretum in supercomprensione voluntatis creatæ.

§. I.

Resolutio negativa.

I. DIco. Deus non potest certo & infallibiliter cognoscere futura contingentia libera absoluta in voluntate creata supercomprehensa ante decretum suæ voluntatis. Hæc est perpetua mens S. Thomæ, ut videri potest in *1. dist. 38. 38. q. 1. art. 5.* ubi tria genera causarum distinguit. *Quædam enim sunt, ex quibus necessario sequitur effectus, quæ impediri non possunt; & in istis causis habet causatum esse certum, & determinatum; adeo, quod potest ibi demonstrative sciri; sicut est ortus Solis, & eclypsis, & hujusmodi. Quædam autem sunt causæ, ex quibus consequuntur effectus, ut in majori parte: sed tamen deficiunt in minori parte; unde in illis causis effectus futuri non habent certitudinem absolutam: sed quamdam, in quantum sunt magis determinatæ causæ ad unum, quam ad aliud: & ideo per istas causas potest accipi scientia conjecturalis de futuris, quæ tanto magis erit certa, quanto causæ sunt magis determinatæ ad unum; sicut est cognitio Medici de sanitate, & morte futura, & judicium Astrologi de ventis, & pluviis futuris: Sed quædam causæ sunt, quæ se habent ad utrumque: & in istis causis effectus futuro nullam habet certitudinem, vel determinationem: & ideo contingentia ad utrumlibet in causis suis nullo modo cognosci possunt.* Quare concludit, quod, cum contingentia solum tunc habeant esse determinatum, quando in actu sunt in se ipsis; tunc, quando sunt in actu, certitudinaliter cognoscuntur, & sic Deus cognoscit certo contingentia, non ut futura in suis causis, sed ut sibi præsentia ratione æternitatis: Idem docet *qu. 16. de malo art. 7.* & quæstione præsenti 14. *art.* 13. D. Thomam sequuntur nedum Thomistæ, sed Scotus, immo communiter PP. Societatis contra Molinam.

II. Probatur ratione D. Thomæ. In causa indifferente ad utrumlibet neutrum extremum potest certo cognosci, ut futurum; sed voluntas creata pro priori ad consensum suum, & præciso quocumque Dei decreto, sub quibuscumque circumstantiis, & dispositionibus ponatur, ex parte actus primi est omnino indifferens ad consensum, vel dissensum; ergo Deus non potest in ea certo cognoscere futura absoluta libera. Minorem admittunt Adversarii: qui immo in hoc pugnant, quod voluntas creata positis omnibus requisitis pro priori ad suum actum sit omnino libera ad consensum, vel dissensum. Major etiam probatur, quia effectus nequit aliter in sua causa cognosci, quam in ea est, alias cognitio non esset vera, si terminaretur ad illum aliter ac in sua causa est.

III. Si dixeris, ex complexione individuali, sicut ex quacumque alia circumstantia, voluntatem fieri magis propensam, & inclinatam ad unam, quam ad aliam partem, ex quo fiet, ut Deus illam supercomprehendens, possit certo cognoscere, quid factura sit.

Sed contra ex D. Th. laudato. Licet naturalis complexio, aliæve circumstantiæ, faciant voluntatem magis propendere ad unum, quam ad alterum, & proinde parere possint aliquam conjecturalem, & probabilem cognitionem de eo, quod posita in tali complexione, & circumstantiis factura sit, non tamen adeo certam, ut oppositum contingere non possit, & aliquando de facto non contingat. Tum quia, ut ait D. Th. esto in majori parte non deficiat, in minori tamen parte, seu aliquando deficit. Tum quia nec complexio, nec quæcumque circumstantiæ faciunt, quin voluntas maneat libera, & indifferens plene ad utrumlibet. Ergo in ea, adhuc cum omnibus istis cognita, certo non continetur consensus, vel dissensus futurus determinate, & consequenter in ea sic cognita certo cognosci non potest.

IV. Si iterum dixeris, quod esto, quid factura sit, non possit certo explorari ab eo, qui voluntatem creatam pure comprehendit, puta ab Angelo, potest tamen certo explorari a Deo, qui eam, & omnia supercomprehendit. Ita Molina.

Contra est. Nam cognitio etiam supercomprehendens, causam

sam nequit in ea certo & determinate cognoscere, quod in ea certo & determinate non est; sed in humana voluntate, etiam stante complexione & circumstantiis, adhuc certo, & determinate non est consensus, vel dissensus, sed indifferentia ad utrumlibet; ergo &c.

Secundo, ut docet Molina in sua *Concordia disput.* 50. §. *Quares*, Deus comprehendens voluntatem suam, pro priori ad exercitam suorum decretorum existentiam non cognoscit in ea determinate, quid decretura sit, alias non libere, sed necessario decerneret; ergo, etsi supercomprehendens voluntatem creatam, in ea, priusquam aliquid eligat, non cognoscet determinate, quid electura sit, alias non libere eligeret, si antequam eligeret, esset determinata, & non indifferens.

Immo, cum non posset Deus supercomprehendens certo cognoscere, quid in tali circumstantia electura esset voluntas humana, quin cognosceret etiam, quid in ea decreturus esset ipse, quia electio humana essentialiter dependet etiam a decreto Dei, sequeretur, quod cognosceret etiam quid factura esset sua voluntas; priusquam actu decerneret, & proinde rueret non solum libertas creata, sed & divina in suis principiis.

§. II.

Fundamenta Molina.

V. PRimum fundamentum petere conatur Molina ex D.Th. qui 1. *contra Gen. c.67.* ratione 3. ait: *sicut ex causa necessaria sequitur effectus certitudinaliter: ita ex causa contingenti completa, si non impediatur.* Ergo sicut in causa necessaria certo cognoscit effectus necessarios, ita in causa contingenti completa, & non impedita certo cognoscet effectus contingentes; ac proinde etiam in libero arbitrio non impedito certo cognoscet actus liberos futuros.

Resp. P. Molinam debuisse advertere, ut bene advertit Ferrariensis ibi. S. Doctorem non loqui de causa libera, sed causa naturali, quæ, cum possit impediri a suo effectu ab alia causa, ut arbor, quæ potest impediri a ferendo fructu, & de facto interdum impeditur, ideo adnumeratur a D. Thoma inter causas contingentes. Et de hac bene addit S. Doctor: quod *cum Deus cognoscat omnia... scit non solum causas contingentium, sed etiam ea, quibus possunt impediri; scit igitur per certitudinem, an contingentia sint, vel non sint*; quia cum ex sua natura arbor sit determinata ad ferendos fructus, cognito, quod a nulla causa impedietur, certo cognoscitur, fructus ex ea prodituros. Sed quid hinc pro libero arbitrio? Nunquid est naturaliter determinatum; puta ad amandum, ut si cognoscatur, a nulla causa fore impediendum, certo cognosci possit, amorem ex illo proditurum? an non potius, esto non impediatur, manet semper indifferens ad amandum, vel non amandum? exemplum ergo ad rem non est.

VI. Secundum fundamentum tale est. Deus supercomprehendens voluntatem creatam cognoscit omnes ejus determinationes; ergo cognoscit, quid factura sit.

Respondetur, dist. antec. ejus determinationes ut possibiles, vel ad summum, ut futuras, conjecturaliter, & probabiliter, conc. antec. ut certo, & infallibiliter futuras, nego antec. Deus ergo supercomprehendens humanum arbitrium, & omnem ejus inclinationem, solum cognoscere potest in eo determinationes liberas eo modo, quo in eo sunt. Cum autem in eo, priusquam actu se determinet, non sint determinationes, nisi ut possibiles, vel attenta inclinatione ejus, ad summum probabiliter futuræ, quia quacumque inclinatione supposita manet semper in actu primo liberum, & plene indifferens ad agendum, vel non agendum: ideo Deus in eo neque ex vi supercomprehensionis cognoscere potest, quid certo acturum sit, sed quid possit agere, vel ad summum quid probabiliter ageret, & sic cognitionem solum conjecturalem habere, ut superius advertimus cum D. Th.

Neque, ex quo Deus supercomprehendat liberum arbitrium, evinci potest oppositum. Nam supercomprehensio dicit quidem plus quam comprehensio ex parte cognoscentis, nimirum quod supercomprehendens perfectiori modo, & majori forte claritate cognoscat, quam pure comprehendens; non tamen quod supercomprehendens videat in objecto aliquid, quod non videat comprehendens, & maxime, si in objecto non contineatur. Immo cum supercomprehendens perfectius videat objectum, non potest videre in illo, ut determinate futurum, quod determinate futurum non est, alias falleretur, videret enim illud aliter ac revera est.

VII. Tertium fundamentum est tale. Ex causa omnino indifferente oriri potest effectus determinatus liber; ergo & potest in ea cognosci, antequam existat. Antecedens prob. Non minus opponitur causa infallibiliter determinata effectui contingenti, quam effectus determinatus causæ indifferenti; sed, ut dicemus, ex causa infallibiliter determinata a Deo oritur effectus contingens; ergo ex causa omnino indifferente potest oriri effectus determinatus.

Respondetur, negando antec. quod retorqueo in Adversarios. Nam juxta illos ex causa determinata etiam a Deo non potest oriri effectus contingens, & liber, unde dicunt, quod si voluntas efficaciter determinaretur a Deo, actus illius non essent contingentes, & liberi: & Molina, docet, quod si voluntas divina pro priori ad decreta esset determinata, decreta Dei non essent amplius libera, ut superius notavimus: Ergo similiter ab opposito ex causa prorsus indifferenti non potest oriri effectus determinatus.

Resp. ergo, tollendo æquivocationem a minori, eam disting. oritur effectus contingens, qui ita fit, ut absolute possit non esse, conc. min. qui nec fit, nec non fit, sed fit prorsus indifferens ad esse, vel non esse, nego min. Cum ergo dicimus, quod a voluntate determinata a Deo oritur actus contingens, & liber, non intendimus, quod oriatur actus contingens, & liber, libertate actus primi, quasi indeterminatus in actu secundo ad esse, vel non esse; Sed dicimus, quod sicut voluntas determinata a Deo ita libere agit in actu secundo, ut possit absolute non agere, ita actus ejus ita infallibiliter est, ut contingenter, & libere ponatur, quia esto, dum est, non possit non esse, absolute tamen potest non esse. Et sic volumus, quod ex causa libera in actu secundo posita oriatur actus liber libertate actus secundi. At contrarii vellent, quod ex causa indifferenti in actu primo, nec determinate continente effectum, oriretur effectus in actu secundo determinatus, quod impossibile judicamus.

DUBIUM IV.

An Deus certo sciat futura absoluta libera in eorum veritate objectiva pro priori ad decretum?

§. I.

Resolutio negativa.

IN sententiam affirmativam propendunt recentiores ex societate, hac in parte Molina rejecto. Ego tamen cum discipulis D. Thomæ, immo cum verioribus Scotistis, ut videre est apud Frassen.

I. Dico. Deus non cognoscit certo, & infallibiliter futura absoluta contingentia libera immediate in seipsis, seu in eorum veritate objectiva, antecedenter ad decretum Dei ab intrinseco efficax. Probatur primo ex dictis supra. Nulla veritas creata potest per se immediate determinare, & movere intellectum divinum ad sui cognitionem, alias esset objectum primarium, vel motivum, vel terminativum divinæ cognitionis, & consequenter specificativum, sed si Deus cognosceret futura &c. immediate in eorum veritate objectiva, jam futura ratione suæ veritatis immediate, & per se moverent, ac determinarent divinum intellectum ad sui cognitionem, non enim moverent ratione Divinæ Essentiæ, vel Omnipotentiæ, quæ non supponitur determinata, sed indifferens, nec ratione decreti, quod non supponitur adhuc existens, nec futurum; ergo moverent, ac determinarent immediate divinum intellectum, eumque moverent ratione suæ veritatis objectivæ creatæ.

Quod ostendo magis. Nam Deus in opposita sententia ideo cognosceret futura, quia sunt; ergo veritas objectiva futurorum objective esset causa, vel motivum determinans ad eorum cognitionem.

II. Prob. secundo ratione speciali de futuris. Ut Deus cognosceret certo liberum consensum Petri, ut in se futurum, independenter ab omni decreto suo, necesse foret, ut consensus Petri esset in se ipso futurus independenter ab omni decreto, & prædicato divino; sed consensus Petri non est in seipso certo futurus independenter ab omni prædicato divinoi ergo &c. Major patet, alias illa cognitio esset fallax. Minor prob. Consensus Petri in se consideratus, secluso divino decreto statuente ejus existentiam, solum exprimit sua prædicata intrinseca connaturalia, & essentialia; sed ista non determinant ipsum potius ad esse futurum, quam non futurum, alias futuritio, & existentia esset necessaria illi, & non libera; ergo &c.

III. Confirm. primo. In tantum Deus cognosceret liberum consensum Petri in se ipso futurum, secluso divino decreto, quia consensus Petri, secluso divino decreto, talem cognoscibilitatem in se haberet, sed esto, secluso decreto, consensus Petri in se ipso habeat cognoscibilitatem suæ possibilitatis, seu non repugnantiæ ad esse, non tamen habet cognoscibilitatem suæ futuritionis; ergo &c. Min. prob. Tum quia, secluso divino decreto, eam solam cognoscibilitatem habet in se, quæ ad ejus entitatem, secluso omni extrinseco, consequitur; ad entitatem autem consensus secundum se solum sequitur cognoscibilitas suæ possibilitatis, non vero suæ futuritionis: non enim ex sua entitate se ipso futurus est. Tum quia futuritio est prædicatum adæquate extrinsecum, ut dicemus; ergo non potest haberi veritas futuri independenter ab omni extrinseco. Tum denique, quia cognoscibilitas futuri est cognoscibilitas rei determinatæ ad esse; sed ab ipsa entitate consensus, secluso omni extrinseco, non potest haberi cognoscibilitas determinata ad esse; ergo &c. Min. prob. Nam ab indifferente ad esse, vel non esse, ut tali, secluso omni extrinseco, haberi non potest cognoscibilitas determinata ad esse; sed entitas consensus secundum se est indifferens ad esse, vel non esse; ergo &c.

IV. Dices, quod esto entitas consensus absolute non fundet veritatem determinatam futuritionis, illam tamen fundat ex suppositione, quod sit futura.

Sed contra. Ergo consensus Petri solum ex suppositione suæ futuritionis fundat veritatem, qua cognosci potest, ut futurus; sed pro priori ad divinum decretum nulla fieri potest suppositio certa futuritionis; ergo &c. Min. prob. Nequit fieri suppositio futuritionis ante causam ejusdem; sed causa omnis futuritionis est divina voluntas seu decretum: ablato enim Decreto Dei de existentia consensus, nil remanet nisi entitas consensus, in qua, utpote indifferente ad fore, suppositio determinata futuritionis fundari nequit; ergo &c.

V. Dices, suppositionem attendi ex facto. Ex quo enim D. Petrus egit pœnitentiam, verum fuit toto tempore antecedent. quod ejus pœnitentia fuit futura.

Sed urgeo rursus. Ante decretum divinum nulla est via dignoscendi factum, quia, ut dicemus, divinum decretum est causa,

causa, & facti, & futuritionis; ergo ante divinum decretum non potest fieri suppositio futuritionis ex facto.

VI. Confirmantur secundo hactenus dicta. Veritas objectiva hujus propositionis *consensus est futurus* consistit in connexione prædicati cum subjecto, nempe consensus cum futuritione, seu cum existentia habenda; sed in signo antecedente divinum decretum nulla potest esse connexio consensus cum futuritione, quippe cum nulla sit causa, neque divina, neque creata, quæ illa invicem conjungat: non quidem creata, quia creata voluntas pro illo signo supponitur indifferens, nec potest jure concipi determinata ante determinationem divinam: non etiam divina, quia hæc esset, vel Divinus Intellectus, vel Divina Omnipotentia; sed nec Intellectus, nec Omnipotentia quidquam agunt circa determinatam rerum existentiam etiam habendam, nisi consequenter ad divinum decretum; ergo &c.

VII. Ex hactenus dictis relinquitur, quod suppositio ista futuritionis ex eventu, & ex facto, quam Adversarii adeo magnificant, vel non subsistit: quomodo enim fieri potest suppositio certa, futurum esse eventum rei penitus contingentis, nulla supposita causa, neque creata, neque increata eam ad eventum ordinante? Vel quod si subsistit, eventus ille futurus sit necessario, & non contingenter, aut libere. Quod sic ostendo. Nam suppositio illa de consensu futuro Petri, si fieri potest ante omne decretum, & suppositionem liberam, fieri poterit pro omni signo, etiam pro signo possibilitatis, & pro signo antecedente productionem Verbi: quod enim non dependet a prædicato libero Dei, ut habeat esse determinatum, non est ratio, cur illud habeat in uno signo, & non in alio; ergo in signo possibilitatis rerum, & pro signo antecedente productionem Verbi futurus erit eventus consensus Petri, & verum erit *Petrus consentiet*, quia etiam pro præfatis signis formari poterunt propositiones contradictoriæ *Petrus consentiet*, *Petrus non consentiet*, quarum una apud Contrarios debet esse determinate vera; sed hoc semel dato, consensus ille esset futurus necessario, quia quod futurum est pro signis antevertentibus omne exercitium liberum, futurum est ex causis necessariis, & consequenter necessario.

VIII. Nec juvat recurrere ad decretum indifferens, quod concipitur esse in signo posteriori ad productionem Verbi, & possibilitatem creaturarum.

Nam in primis juxta principia Adversariorum decretum indifferens supponit consensum Petri, saltem sub conditione futurum; ergo illud non facit. Deinde decretum illud, eo ipso quod sit indifferens, non potest esse determinativum veritatis de consensu futuro; ergo in signo hujus decreti non potest concipi ut primo incipiens veritas illa potius, quam in præcedentibus: quod enim ex natura sua indifferens est ad consensum, non potest dare consensui futuritionem potius, quam non futuritionem: ergo vel in signo hujus decreti nondum intelligitur veritas determinata consensus futuri, vel est determinata ex natura sua.

§. II.

Solvuntur argumenta.

IX. ARguunt primo. Hæc propositio *Petrus consentiet* ex suppositione, quod consentiet, est ab æterno infallibiliter vera independenter a quocumque decreto Dei intrinseco efficaci; ergo independenter ab eo poterit cognosci. Antec. probant primo ex D. Augustino *lib. 26. cont. Faustum cap.* 4. dicente: *tam non possunt futura non fieri, quam non fuisse facta præterita*. Secundo ex D. Anselmo *lib. de concordia præscientia, & prædest. c.* 2. ubi ait: *rem vero futuram necesse est esse futuram, quoniam futurum esse nequit, & non futurum*. Tertio omnis propositio de futuro contingenti regulatur per suam de inesse, & illa, quæ habet in tempore suam de inesse veram, oportet, ut sit ab æterno vera secluso quocumque; ergo si in tempore aliquando verum est, *Petrus consentiet*, debet fieri suppositio, quod ab æterno verum fit, *Petrus consentiet*.

X. Respondeo, negando suppositum antecedentis, nempe, quod, præciso decreto Dei ab intrinseco efficaci, fieri possit suppositio certa, quod Petrus consentiet; præciso enim decreto, Petrus concipitur indifferens ad consensum, vel non consensum; nec determinate affirmari potest de eo potius consensus, quam dissensus. Hinc pronuntians istam propositionem, *Petrus cras consentiet*, vel attendit consensum, præciso divino decreto de ejus existentia crastina, vel illum attendit, supponendo divinum decretum. Si primum; propositio erit falsa, quia incertum, ut certum, pronunciat: consensus enim Petri, præciso divino decreto, est prorsus indifferens ad esse, vel non esse cras. Si vero secundum; erit vera propositio, & suppositio, quia supponit decretum, a quo unice suppositio futuritionis dependet.

Quapropter D. Augustinus loco ab arguente relato: *si mihi* (inquit) *dicatur, posse fieri, ut caro, verbi gratia, hujus, vel illius hominis in corpus cæleste mutetur; concedo, fieri posse. Sed utrum futurum sit, nescio, & ideo nescio, quia, quid habeat de hac re Dei voluntas, me latet, illud me tamen non latet, sine dubio futurum, si hoc Dei voluntas habet*. En quam infeliciter in sui Patrocinium Adversarii vocant Augustinum; dum ergo ait: *tam non possunt futura non fieri, quam non fuisse facta præterita*: loquitur, supposita Dei voluntate, tam de futuritione, quam de præteritione, unde statim subdit: *quoniam non est in Dei voluntate, ut eo sit aliquid falsum, quo verum est*.

Nec magis feliciter advocant Anselmum, dicit enim, *rem futuram necesse est esse futuram*; quia Deus præscivit, eam esse futuram, præscientia supponente voluntatem, qua præscit, aliqua fieri sine necessitate, ut ea, quæ a voluntate libera facienda sunt; & eo modo fiant, quo præsciverit fieri: & hoc modo conciliat liberum arbitrium cum præscientia.

Ad tertium vero concedo totum. Sed ut fiat suppositio, quod hæc de inesse, *Petrus consentit*, aliquando fit, vera, & ut ab æterno sit vera hæc, *Petrus consentiet*; debet recurri ad aliquod liberum ab æterno existens, quo subjectum indifferens connectatur cum prædicato, alias propositio illa, vel erit falsa, vel necessaria, ut ostensum est; dicere enim, esse verum ex eventu, est petere principium: nam æque dubitamus de eventu, ac de futuritione eventus.

XI. Secundo arguitur. Pro priori ad decretum divinum hæ duæ propositiones de futuro contingente *Petrus consentiet*, *Petrus non consentiet* sunt vere contradictoriæ; sed ex contradictoriis una debet esse vera, & altera falsa; ergo pro priori ad decretum divinum futura libera habent suam veritatem objectivam, & consequenter sunt certo cognoscibilia.

Confirmat. Hæc disjunctiva, *Petrus consentiet*, vel *non consentiet* est necessario vera pro omni signo; ergo aliqua pars pro quocumque signo est determinate vera: quia veritas propositionis disjunctivæ requirit veritatem unius partis.

XII. Resp. petendo ab Adversariis, an præfatæ duæ propositiones sint vere contradictoriæ, & una illarum determinate vera, altera falsa pro omni signo, etiam possibilitatis, & antecedente productionem verbi Divini, & determinationem cujuscumque liberi? Si affirment; ergo una illarum erit necessario vera, altera necessario falsa. Si negent; ergo stat quod pro aliquo signo dentur contradictoriæ, quarum neutra sit determinate falsa.

XIII. Observo igitur, quod propositiones contradictoriæ de futuro possunt fieri, vel in materia necessaria, vel in materia contingente. Si sint in materia necessaria, cum habeant pro fundamento suæ veritatis intrinsecam & necessariam connexionem prædicati cum subjecto, ideo ab intrinseco, & pro omni signo una est determinate vera, altera determinate falsa. Si vero sint in materia contingente, cum nulla adsit ab intrinseco determinata connexio inter subjectum, & prædicatum; sed solum contingens, ab intrinseco, & absolute nulla ex eis determinatam habet veritatem, vel falsitatem; sed eam accipit per ordinem, & connotationem ad divinum decretum, a quo una ex eis accipit determinatam futuritionem, vel non futuritionem, ideoque in signo priori ad illud neutra habet determinatam futuritionem, vel non futuritionem. Et hæc est Doctrina D. Thomæ in 1. *Periermen. lect.* 13. his verbis. *In præteritis, & præsentibus necesse est, quod altera oppositarum determinate sit vera, altera falsa, in quacumque materia. Sed in singularibus, quæ sunt de futuro, hoc non est necesse, quod una determinate sit vera, & altera falsa. Et hoc quidem dicitur quantum ad materiam contingentem*. Idem docet in 1. *dist.* 18. *q.* 1. *art.* 5. *ad* 2. *&* *q.* 16. *de malo art.* 7. ubi ait: *ea, quæ sunt ad utrumlibet, non possunt præcognosci in suis causis determinate, sed sub distinctione, utpote quia erunt, vel non erunt: Sic enim habent veritatem*.

XIV. Quare in forma respondeo, negando absolute minorem de contradictoriis de futuro contingente, quale sunt præfatæ, *Petrus consentiet*, *Petrus non consentiet*. Neque lex contradictionis est, quod pro omni signo una contradictoria de futuro contingenti sit determinate vera, altera falsa, sed vage & indeterminate, idest, si una est vera, altera sit falsa. Quod ergo una sit determinate vera, altera falsa unice provenit ex determinatione causæ liberæ, quæ si ponit effectum, propositio illum affirmans est determinate vera, negans vero falsa.

Et in hoc, ut superius observavi, nobiscum convenire debant Adversarii, cum hoc tamen discrimine; quod illi ad ponendum effectum solum requirunt determinationem causæ secundæ, decreto Dei indifferente instructæ, quando effectus ab ea libere causatur: unde juxta eorum principia veritas determinata propositionis affirmativæ de consensu incipit a signo, quo Deus decernit dare illi auxilium cum prævisione, quod Petrus sub eo consentiet. Nos vero prius requirimus determinationem causæ primæ, a qua oritur determinatio causæ secundæ liberæ, & in signo, quo intelligitur determinatio creaturæ, & ejus effectus: & propositio illum affirmans est determinate vera, & negans falsa.

XV. Ad confirm. nego conseq. Nam ex eo, quod propositio disjunctiva ex duabus constans contradictoriis sit pro omni signo necessario vera, non sequitur, aliquam ejus partem esse pro omni signo determinate veram, sicut ex eo, quod disjunctiva sit pro omni signo necessaria, non sequitur, aliquam partem esse determinate necessariam. Et ratio est, quia ut disjunctiva pro omni signo sit vera, sufficit, quod utraque pars sit incompossibilis: quod ratione contradictionis necessario verum est, ut patet in ista, *Petrus est albus, vel non albus*, impossibile enim est, quod Petrus simul sit albus, & non albus. At veritas determinata unius partis præ alia pendet, & accidit ei ex aliquo contingente, vel libero, nempe ex determinatione causæ. Quod nedum nos, sed & Adversarii fateri coguntur; ut ostendimus.

Cætera argumenta, quæ petuntur ex impugnatione decreti efficacis Dei, proponentur, & solventur nedum in *sequenti dubio*, sed ulterius *quæst. sequenti*, & *in tractatu de voluntate*.

DUBIUM II.

An Deus cognoscat certo futura contingentia absoluta in decreto ab intrinseco efficaci sua Voluntatis?

§. I.

Firmatur resolutio auctoritate.

I. DAri in Deo circa futura absoluta decretum, conveniunt nobiscum Patres Societatis. In hoc tamen dissident, quod illi asserunt, tale decretum regulari per scientiam mediam, per quam Deus prius vidit futurum in statu conditionato, & ex hac prævisione sortiri efficaciam. Nos autem ponimus in Deo decretum ab intrinseco efficax, non supponens, sed faciens futura. Et de hoc in præsenti quærimus an sit *medium in quo* Deus certo cognoscat futura contingentia, & liberat

II. Dico. Deus certo cognoscit futura libera absoluta in suo decreto ab intrinseco efficaci, seu in sua essentia, ut per illud determinata. Sequitur ex dictis. Nam Deus certo ea non cognoscit sive in sua essentia, sive in suis ideis pro priori ad decreta, sive in voluntate creata supercomprehensa, sive in decreto cognito ut futuro, sive in eorum veritate objectiva, ut probatum est; ergo, cum non supersit aliud medium, secundum regulam bonæ divisionis sequitur, quod ea cognoscat in decreto ab intrinseco efficaci exercite in Deo existente. Ita sentiunt omnes Discipuli S. Thomæ, immo & veri Scotistæ, ut videre est apud Frassen *tractat. 2. disp. 1. art. 2. sect. 2. q. 2. de scientia visionis*.

III. Probatur directe primo ex Patribus. D. Hilarius *9. de Trinit.* dicit: *Qua Deus facere decrevit, in sua voluntate cognovit*. Et August. *lib. 26. contra Faustum c. 4.* supra relato, ubi reddens rationem, cur nesciat aliquid futurum: (inquit) *nescio, quia, quid habeat hac de re Voluntas Dei, me latet. Illud tamen me non latet, sine dubio futurum, si hoc Dei Voluntas habet*. Quæ consequentia nulla esset, si Voluntas Dei non esset medium certum ad cognoscenda futura, & horum cognitio Voluntatem Dei circa illa non supponeret. Item *lib. de Prædestin. SS. c. 10.* ait: *Prædestinatione quippe Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus*; sed præscientia prædestinationis, nempe præparationis gratiæ, est cognitio innixa decreto efficaci electivo ad gloriam, & prædestinatio, secundum S. D. ibi differt a præscientia, quia Deus prædestinat ea solum, quæ facit, & vult, præscit autem ea etiam, quæ non facit, nec vult, ut peccata; ergo Dei præscientia est &c. Idem repetit *c. 17.* hisce verbis: *electi sunt itaque ante Mundi constitutionem, ea prædestinatione, in qua Deus sua futura facta præscivit*; ergo in sua præparatione, qua Deus fecit futura, ea præscivit.

IV. In hoc perpetuus est S. Augustini Discipulus Angelicus noster. Nam in *1. dist. 38. q. 1. art. 5. Deus* (inquit) *ab æterno, non solum vidit ordinem sui ad rem, ex cujus potestate res erat futura, sed ipsum esse rei intuebatur*; ubi duplicem modum Deo tribuit cognoscendi futura, unum in eorum præsentia æternitati, alterum in ordine (libero quidem, non necessario) quem ipse dicit ad rem, & quo fiet ea futura. Item in *1. dist. 39. q. 1. art. 1. ad 5.* assignans differentiam inter esse Dei, & ejus scire: *licet* (inquit) *esse, & scire sint idem secundum rem, tamen scire sequitur voluntatem, ut imperatum ab ipsa, esse autem non: & ideo esse suum non subjacet libertati voluntatis, sicut scire operativum creaturæ*. At scientia operativa creaturæ est scientia futurorum. Ergo &c. Præcipue vero (omissis aliis testimoniis) *1. contra Gen. c. 38.* ubi postquam ratione quarta ostendit, quod Deus cogitationes nostras, & motus cordis cognoscit, sicut artifex artificiata per intellectum, & voluntatem, & sicut ea, *quæ a proposito aguntur*: ratione quinta, postquam hanc veritatem variis scripturæ locis confirmavit, ait: *Dominium autem, quod habet voluntas supra suos actus, per quod in ejus est potestate velle, vel non velle, excludit determinationem virtutis ad unum, & violentiam causæ exterioris agentis; non autem excludit influentiam superioris causæ, a qua est ei esse, & operari: & sic remanet causalitas in causa prima, qua Deus est, respectu motuum voluntatis, ut sic* (nota) *Deus se ipsum cognoscendo, hujusmodi cognoscere possit*. Et 3. *contra Gen: cap. 56.* dicit, intellectum creatum cognoscere non posse, quid alius velit, nisi aut per causam: *sicut Deus voluntates nostras, & alios suos effectus cognoscit per hoc, quod est nobis causa volendi*. Quæ adeo clara sunt; ut ea videns Molina ingenue fateri coactus sit, Angelicum Doct. & S. Augustinum sibi esse contrarios. Videri potest in Concordia *disp. 35. §. in his duobus, & §. Cajet.*

V. Sed quæres: hæc cum ita sint: cur D. Thomas plerumque, ut Deo adstruat cognitionem futurorum, ad eorum in æternitate præsentiam recurrit?

Resp. hoc variis titulis fecisse. Primo, ut ostenderet, duos modos certo cognoscendi futura inesse Deo unum scilicet in se ipso, ut causam eorum, alterum in æternitate, ut eorum mensuram. Secundo recurrit ad præsentiam eorum in æternitate, ut ostendat, cognitionem, quam Deus de illis habet, esse non solum certam sed claram, & intuitivam, sicut cum videmus res nobis actu præsentes. Tertio, ut manifestet, Scientiam Dei non auferre ab eis contingentiam, quamvis sit infallibilis, quia terminatur ad illa, ut jam præsentia. Quarto tandem, ut indicet, Deum ea non cognoscere secundum esse contingens, & indeterminatum, quod habent in suis causis proximis, sed secundum esse determinatum, quod habent, dum sunt in se, ut inde inferat, cognitionem divinam esse non conjecturalem, sed certam, & infallibilem. Porro hoc pro comperto habendum est, quod Decretum Dei efficax, sicut est radix, ut suo tempore res ponantur in esse, ita consequenter est radix, ut ponantur, & sint æternitati præsentes. Quapropter Decretum est præcipuum fundamentum, ut Deus utroque modo illa cognoscat, nempe in se ipso, ut in causa, & in ipsis, ut sunt in æternitate præsentes: quod præ oculis habendum est.

§. II.

Firmatur conclusio ratione.

VI. PRobatur ratione sic. Causa efficaciter determinata ad ponendum effectum est medium aptissimum ad cognoscendum effectum ejus futurum: quod nihil aliud est, nisi id, quod habet esse determinatum in causa, seu id, quod nunc non est, præparatum tamen, determinatum, & ordinatum, ut postea fit; At Divina Essentia, ut conjuncta decreto de positione effectus tali tempore, est causa efficaciter determinata ad illum ponendum; ergo &c.

VII. Respondebis, hunc discursum bene probare de futuris, quorum positio a solo Deo pendet, non de iis, quæ a Deo & principio creato libero oriri debent; horum enim determinatio Dei est causa solum inadæquata; in causa autem inadæquata non potest certo videri effectus futurus, nisi prævideatur futura determinatio alterius causæ liberæ, ideoque respectu horum Decretum Dei non est unicum, & sufficiens medium.

VIII. Sed contra. Quotiescumque determinatio unius causæ causat, vel infallibiliter, & inimpedibiliter infert determinationem alterius causæ, qui certo videt determinationem illius in ea videt etiam determinationem alterius infallibiliter futuram, & effectum ponendum, sed determinatio, seu decretum Voluntatis Divinæ efficax causat, vel infallibiliter, & inimpedibiliter infert determinationem voluntatis creatæ; ergo Deus videns determinationem suam &c. Minorem fuse ostendemus *tractatu de voluntate Dei*, ubi statuemus, ejus decreta esse ab intrinseco efficacia, & causare determinationes causarum, etiam liberarum, absque ulla læsione libertatis, & dominii, quod habent supra suos actus. Pro præsenti evincunt auctoritates S. Augustini, & S. Thomæ supra relatæ ex Psalm. 14. v. 6. *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in Cælo, & in Terra, in Mari, & in omnibus Abyssis*. In quæ verba D. Aug. in *Psalm. 134.* postquam ostendit, Deum omnia pro sua voluntate facere, non ita nos, veniens ad nostros actus liberos ait: *Ipse tibi dat gratiam, ut in te ipso facias, quod vis, nisi enim ipso adjuvante, nec in te facis, quod vis*. Et inferius concludit: *Intelligite Deum*, qui omnia quæcumque voluit, fecit in Cælo, & in Terra: *Ipse & in vobis fecit, quod voluit*. Et Isaiæ 14. vers. 27. *Dominus enim exercituum decrevit: & quis poterit infirmare?* ubi Hieronymus *non pro difficili* (inquit) *debemus accipere . . . . sed pro impossibili. Nullus enim poterit Domini infirmare consilium*. In hac ergo suppositione procedit præsens nostra resolutio. Quod si quis non acquiescit, in *tract. de voluntate* ipsum audiemus. Hinc

IX. Secundo probatur conclusio. Illud est certissimum medium cognoscendi futura contingentia, etiam libera, a quo, ut a causa desumitur eorum formalis futuritio; sed formalis futuritio &c. habetur a divino decreto; ergo &c. Min. probatur. Primo: Futuritio enim est prædicatum omnino extrinsecum rei futuræ; quia res dum de mere possibili transit in futuram, minime mutatur; ergo debet desumi ab aliqua causa extrinseca, quæ toto tempore futuritionis existat, sicut toto tempore futuritionis existit denominatio futuri; sed hæc alia esse nequit, nisi divinum decretum, quia futuritio existit ab æterno; nil autem ab æterno existit, nisi divinum decretum; ergo &c.

Secundo prob. min. Omne prædicatum rei intrinsecum, vel est essentiale, vel accidens proprium, vel accidens commune. Sed futuritio non est prædicatum essentiale: nulla enim res creata habet ex sua essentia, quod sit futura. Neque est accidens proprium. Tum quia accidens proprium nequit naturaliter separari a re, futuritio autem naturaliter separari potest a re futura, cum transit in præteritam. Tum quia accidens proprium oritur ex principiis essentialibus rei; sed futuritio non oritur ex principiis essentialibus rei, quia nulla res creata ex suis intrinsecis est determinata, ut sit, sed pure non repugnans, seu possibilis, ut sit. Neque est accidens commune, quia futuritio soli convenit rei futuræ, non vero rei præsenti, aut præteritæ. Relinquitur ergo, quod sit denominatio pure extrinseca, desumpta a forma extrinseca, nempe a Divina Scientia, & Voluntate, qua dicatur scita, & volita pro tali tempore, ut sit.

X. Dices, quod esto futuritio radicaliter sit extrinseca, formaliter tamen est intrinseca rei, nempe carentia existentiæ nunc cum existentia habenda postea.

Fateor, quod futurum dicit carentiam existentiæ nunc cum existentia postea habenda. Sed quæso, quod res, quæ caret existentia nunc, respiciat, & connectatur cum existentia habenda postea, unde habet? Non habet ex sua essentia; Non est ejus proprietas; Non est accidens commune illi intrinsecum; Ergo remanet, quod sit illi extrinsecum, & pura denominatio extrinseca, proveniens a decreto Dei volente, rem quæ non existit nunc, aliquando habituram esse existentiam.

XI. Secundo insto. Illa est forma conjungens rem non existentem nunc, cum existentia postea, qua posita concipitur a quod res non existens nunc existentiam habebit, qua præcis non concipitur; sed posita voluntate Dei de existentia Anti Chri-

Christi suo tempore, nullo alio Intellecto, habetur, quod Anti-Christus nunc non existens existentiam habebit, voluntate vero Dei seclusa, hoc non amplius concipi potest, sicut seclusa Voluntate Dei, non potest concipi Anti-Christus volitus, ut suo tempore sit; ergo &c.

XII. Tertio. Ideo, præter omnipotentiam, concipio in creaturis intrinsecam possibilitatem, quia in creaturis invenio intrinsecam non repugnantiam ad esse, ex suis intrinsecis ortam, sed in re futura nihil intrinsecum invenio, fundans ejus determinatam futuritionem; non carentiam existentiæ nunc, quia hæc non fundat futuritionem magis, quam non futuritionem, etenim possibilia carent existentia nunc, & tamen non fundant futuritionem: non existentiam, quia existentia ex qua natura non dicit magis esse habendam, quam non habendam; erit ergo conjunctum ex utroque. Verum, cum in neutro inveniam prædicatum tale conjunctum formans, & constituens, dicam, illud constitui in esse conjuncti per formam extrinsece utrumque extremum determinantem.

XIII. Scio, aliquos ex nostris, inter quos Magist. Ferer. esse in opinione, quod Decretum Dei non sit causa formalis, sed solum effectiva futuritionis. Hæc tamen opinio, etiam admissa, non infirmat nostræ assertionis veritatem: nam ejus Auctores distinguunt in divino decreto duas comparationes, unam, qua Deus ab æterno vult, rem esse in tali tempore: & in hac voluntate dicunt, non haberi determinationem de futuritione rei, sed de ipsa physica præsentia rei in tali, vel tali tempore: quare, inquiunt, prima comparatio decreti ad rem futuram est præsentis ad præsens. Ex determinatione autem hac sequitur, quod Deus sit effecturus rem in tempore determinato, & hæc est secunda comparatio decreti ad futurum, ut futurum. Unde hæc opinio esto non sumat rei futuritionem ex prima comparatione decreti determinantis existentiam, eam tamen sumit ex determinatione eam consequente, qua Deus definivit, rem tempore statuto efficere.

XIV. Quomodocumque ergo decretum comparetur ad futuritionem, certum est, ait D. Thom. *1. p. q. 16. art. 7. ad 3. quod illud, quod nunc est, ex eo futurum fuit, antequam esset, quia in causa sua erat, ut fieret. Unde sublata causa non esset futurum illud fieri; sola autem causa prima est æterna. Unde ex hoc non sequitur, quod ea, quæ sunt, semper fuit verum, ea esse futura, nisi quatenus in causa sempiterna fuit, ut essent futura, quæ quidem causa solus Deus est*. Quibus nil clarius pro nostra assertione.

§. III.

Fundamenta oppositæ sententiæ.

XV. OBjiciunt primo D. Thomam, qui agens de cognitione futurorum contingentium, maxime pendentium a voluntate creata, recurrit ad eorum præsentiam in æternitate, ut salvet in Deo certam illorum cognitionem, non vero ad causarum determinationem, ut ipsi præsenti *art. 13. in 1. dist. 38. q. 1. art. 6. in corp. ad 2. 3. & 6.* immo dicit, ex cognitione causæ non sequi in Deo cognitionem infallibilem effectus futuri. Et *q. 2. de veritat. art. 12.* addit, quod futura, ut futura, nequeunt certo cognosci, sed dum cognoscuntur in causis, cognoscuntur ut futura; ergo &c.

Ad hæc jam dictum est, sequi solum, quod Deus duplici medio res futuras cognoscat, & in suo decreto, seu in sua essentia, ut determinata ad eas producendas & in sua æternitate, in qua sunt præsentes; nimirum divina cognitio non sistit in ipsa cognita, ut determinata, sed ab ipsa nostro modo concipiendi transit ad eas cognoscendas, ut in æternitate præsentes, cujus tamen præsentiæ radix est, & causa ipsum decretum, quia in tantum sunt æternitati præsentes quia fuerunt determinatæ ad existendum pro aliquo tempore. Quando vero D. Th. opponit cognitionem certam cognitioni in causa, & cognitioni rei, ut futuræ, loquitur de cognitione in causa contingente, nondum determinata: sic enim neque est certo futura: unde qui eam sic futuram in causa contingente cognosceret, non certam, sed conjecturalem haberet cognitionem, & in hoc sensu loquitur D. Thom. non vero de cognitione futuri in causa, sive divina, sive etiam creata, ut determinata a Deo: oppositum enim docet supra laudatis locis.

XVI. Sed dices 2. 2. *q. 171. art. 9. ad 2.* docet S. Doctor, prophetiam comminatoriam non esse semper certam absolute; ut patet in Ninive subversione, & morte Ezechiæ, atqui per eam revelatur futurum, ut futurum est præcise determinatum in suis causis; ergo in causa nequit certo cognosci, &c.

Resp. dist. min. in suis causis secundis, & impedibilibus, conc. min. in causa prima, & inimpendibili, nego min. Prophetia comminationis revelat eventum futurum, non in se absolute, sed quantum est ex præparatione causarum secundarum, quæ cum possint a causa superiori impediri, ne exequantur id, ad quod determinatæ sunt, ideo sæpe non evenit, quod prædictum fuerat; unde prophetia prædicta non supponit in Deo decretum absolutum, sed tantum conditionatum. Quare, cum effectus prænunciatus non evenit, hoc ideo est, quia in Deo adest decretum absolutum aliter decernens, ac cursus, & determinatio causarum secundarum exigeret.

XVII. Addo, quod esto exitus rei comminatorie prænunciatæ non semper eveniat, adhuc tamen prophetia vera est, non falsa, quia ejus objectum non est eventus, ut absolute in re ponendus, sed ponendus, quantum est ex præparatione causarum. Verum est autem, quod causæ ita sunt præparatæ, ut nisi a suo cursu impediantur, sequatur effectus. Hæc est doctrina D. Thomæ *q. 1. de ver. art. 10. in corp. & ad 7.* ubi hæc ait: *Aliquid potest dici esse futurum, non solum ex hoc, quod ita erit, sed quia ita est ordinatum in causis suis, ut sit futurum. Sic enim Medicus dicit, iste sanabitur, & iste morietur: & si aliter contingat, non falsum dixit: sic enim tunc futurum erat ex ordine causarum; quod tamen possibile est impediri, & tunc quod prius futurum fuerat; consequenter non erit futurum . . . & secundum hoc denunciatio Prophetæ comminantis nec falsa est, nec dubia, quamvis non eveniat, quod prædixit*. Qua doctrina supposita negari poterat major syllogismi ab arguente oppositi.

XVIII. Objiciunt secundo. Posita carentia existentiæ nunc, & existentia postea, nullo alio intellecto, habetur futurum; ergo in hoc, non in decreto, consistet futuritio.

Nego consequentiam. Quid enim est, existentiam habendam esse postea, nisi rem suapte natura indifferentem esse determinatam ad existendum? Cum ergo hæc determinatio ad existendum non sit rei intrinseca, ut ostensum est, sed prorsus extrinseca, & ab æterno sit, quæso, a qua causa provenire potest, nisi a Deo sic determinante ab æterno?

XIX. Dices. Eodem modo loquendum est de futuritione rei, ac de ejus præteritione; sed præteritio Adami non est extrinseca Adamo, nec sumitur decreto formaliter; ergo neque futuritio ejusdem, antequam esset. Unde sicut nunc, ex quo Adamus non sit, fuerit tamen, habemus, Adamum esse præteritum: ita antequam esset, ex quo existentiam esset habiturus, habebatur; Adamum esse futurum.

XX. Dupliciter respondeo. Primo, negando maj. Res enim, antequam sit, nihil habet in se, quod eam determinet ad existendum: unde determinatio ab extrinseco petenda est. Ast postquam fuit, & non est amplius, habet esse jam ad non esse determinatum; quod enim fuit, & amplius non est, intrinsece determinatum est ad non existendum.

Secundo responderi potest, negando min. Eodem enim modo discurrendum est de præteritis, ac de futuris. Sicut enim esse futurum est denominatio extrinseca a decreto Dei de re producenda; ita esse præteritum est denominatio extrinseca a decreto Dei volentis, rem existere pro differentia temporis elapsi, & non pro ista. Quare tam præteritio, quam futuritio desumuntur a decreto comparative ad diversas differentias durationis. Ab eodem enim decreto, quo Adamus fuit denominatus, & volitus futurus, tota duratione præcedente ejus existentiam, denominatur præteritus, ejus existentia, & duratione transacta, & ab eodem decreto, a quo nunc Anti-Christus denominatur futurus, denominabitur præteritus, postquam esse defierit. Hæc responsio communior est.

Tertio responderi potest, quod dato, decretum non esse causam formalem præteritionis, neque futuritionis, sed solum causam quasi effectivam, non sequitur, quod si suo decreto Deus certo non possit cognoscere præterita, & futura, sicut & præsentia, cum quodcumque sit futurum, præsens, vel præteritum, quia Deus voluit.

XXI. Objiciunt tertio. Peccatum dicitur futurum, antequam fiat, & tamen nequit a Deo cognosci in decreto ab intrinseco efficaci: non enim in Deo datur decretum definiens, aut determinans peccatum; ergo &c.

Fateor, Deum præscire quidem peccatum, sed illud non prædestinare. *Prædestinatio* (ait August. *lib. de Prædest. SS. cap. 10.*) *sine præscientia non potest esse, potest autem esse sine prædestinatione præscientia. Prædestinatione quippe Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus ... Præscire autem potens est etiam, quæ ipse non facit, sicut quæcumque peccata*. Præscit ergo Deus peccatum futurum quoad deformitatem in decreto permissivo illius, seu in decreto negandi gratiam, qua peccator non cadat, aut non peccet. Ex decreto autem hoc permissivo, seu denegativo gratiæ sequitur peccatum futurum, non quidem sequela, & futuritione quasi physica (sic enim sequitur a sola causa deficiente) sed sequela, & futuritione logica. Ex quo enim ab æterno statuit Deus, denegare gratiam Judæ, qua vitaret proditionem, fuit logice, & per bonam consequentiam proditio Judæ futura. Verum, cum in peccato præter formale sit etiam materiale, nempe entitas actionis, Deum circa istam positiva voluntate etiam movendo concurrere, quin sua motio malitiæ labe inquinetur, dicemus *in tractatu de voluntate Dei*, ubi etiam ea argumenta solvemus, quibus præsumunt contrarii, positionem decreti efficacis creatum evertere libertatem. Interim pro eo, quod præsentem tangit materiam, utar exemplo S. Augustini *lib. 3. cont. Jul. cap. 24.* In actione mala Deo moventi non tribui quod malum est, sed quod in ea bonum est: *sicut parentibus gignentibus & malo concupiscentia bene utentibus non imputandum est, quod cum eo malo* (nimirum peccato originali) *filii nascuntur, sed quod bonum sunt*.

Porro ejusmodi decretum permissivum, ex quo peccata logice futura sint, in Deo esse, ostendunt Scripturæ, *Ps. 29. v. 8. Avertisti faciem tuam a me & factus sum conturbatus. Psalm. 80. v. 13. Dimisi eos in desideria cordis eorum*. Quid sequitur? *Ibunt in adinventionibus suis*. Et D. August. *in Enchir. c. 95. Non ergo* (inquit) *fit aliquid, nisi Omnipotens fieri velit, vel sinendo, ut fiat, vel ipse faciendo. Nec dubitandum est, Deum facere bene, etiam sinendo fieri, quæcumque fiunt male. Non enim hoc nisi justo judicio finit: & perfecto bonum est omne, quod justum est*. Et D. Th. *hac q. 14. art. 9. ad 3.* Non operet (ait) *quod quæcumque scit Deus, sint, vel fuerint, vel futura sint; sed solum ea, quæ vult esse, vel permittit esse*.